Duplex
23
A
52

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
6 C
7

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

M

35-E-51

13-23. e. 48

DE CANONIZATIONE SANCTORVM COMMENTARIVS,

HOC EST, DE DEFINITIONE, AVCTORITATE, & Antiquitate; deq. causis, & ordine iudiciario Canonizandi Sanctos;

De miraculis item, ac de rebus, quæ veram declarant sanctitatem, necnon de honoribus, qui Sanctis debentur;

DEQ. INFALLIBILI . CATHOLICÆ . ECCLESIÆ . CERTITVDINE AD . CANONIZATIONEM . PERTINENTE;

Additis cæremonijs in ea obseruari consuetis, ac declaratis; Sanctorumq. Canonizatorum Catalogo accedente;

Et in hac secunda Editione multis rebus auctus, & illustratus,

AVCTORE F. ANGELO ROCCHA CAMERTE AVGVSTINIANO Episcopo Tagastense, & Apostolici Sacrarij Præfecto.

AD S. D. N. PAVLVM V. P. M.

ROMAE, *Ex Typographia Reu. Cam. Apost.* M. DC. X.

CVM . PRIVILEGIO . ET SVPERIORVM . AVCTORITATE.

image
not
available

à nonnullis quaſi perfunctoriè dictum, extare certò ſciebam. Hunc itaque Commentarium (alijs Canonizationum Conſultationibus ſeſe ad præſens tempus offerentibus) cum primæ editionis exemplaria perpauca inuenirentur, iterum impreſſum, quatenus intra domeſticos Beatitudinis Tuæ parietes à me olim elucubratum, nunc verò multis rebus auctum, Sanctitati Tuæ humiliter, ac demiſsè offero, & dono, Deumq. bonorum omnium fontem vberrimum ſuppliciter, & enixè rogo, vt ad vniuerſæ Eccleſiæ ſuæ Sanctæ dignitatem tuendam, & in dies augendam, atque exornandam Diuina ope ſua Te incolumem, ac felicem reddat, diuq. conſeruet. Romæ Kalendis Iulij. M. DC. X.

Sanctitatis Tuæ

Humillimus ſeruus, eidemq. deuinctiſſimus

Fr. Angelus Roccha Camers Epiſcopus Tagaſtenſis, & Apoſtolici Sacrarij Præfectus.

AVCTORES IN COMMENTARIO CITATI.

A.

Abdias Babylonicus.
Ado Treuerensis.
Agatho P.
Albertus Magnus.
Alcuinus Monachus.
Alexander P. III.
Alexander P. IV.
Alexander Alensis.
Amalarius Fortunatus.
Anastasius Bibliothecarius.
Anselmus.
Ascensius.
Aegidius Romanus.
Antherus P.
Aloysius Lipomanus.
Alphonsus Tostatus.
Augustinus Triumphus.
Auerroes.
S. Augustinus Episc. Hipponensis.
S. Antoninus Archiep. Florentinus.
Aristoteles.

B.

Baptista Platina.
Balthasar Pisanellus.
S. Basilius Magnus.
Bartholomæus Fumus canonista.
Bartholomæus Cassanæus.
S. Bernardus.
Benedictus Pererius.
Bibliotheca VV. PP.
Bibliotheca Vaticana.
Bonifacius VIII.
S. Bonauentura Episcop. Cardinal. Albanensis.
Burchardus Vuormaciensis Episcopus.

C.

Canonistæ in cap. 1. de reliqu. & vener. Sanct.
Canones SS. Apostolorum.
M. Cato.
Cæremoniarum liber.
Cæsar Baronius S. R. E. Card.
Claudius Aelianus.
S. Clemens P. I.
Cornelius Tacitus.
S. Cyprianus.
S. Cyrillus Alexandrinus.
Cornelius Iansenius.
Concilia { Anciranum. Africanum. Constantiense. Florentinum. Tridentinum.
Corpus canonicum.

D.

S. Damasus P.
Didacus Couarruuias.
S. Dionysius Areopagita.
Dominicus Bañes.

E.

Eusebius Cæsariensis.

F.

S. Fabianus P.
S. Felix P.
Festus Pompeius.
Florus Magister.
Franciscus Penia Rotæ Auditor.

G.

Gabriel Biel.
Gerardus Vossius.

S. Gregorius Magnus.
Gregorius IX.
Gregorius Nunnius.
Gregorius Turonensis.
Gratianus Monachus.
Glossa ord. interlinearis,
Guillelmus Durandus.

H.

Hegesippus hist.
Henricus S.R.E. Cardinalis Ostiensis.
Herodianus hist.
S. Hieronymus.
Hieronymus Vielmius.
Hildephonsus Episc. Toletanus.

I.

Iacobus de Fara Castellanus.
Iacobus Pamelius.
Ioannes P. IX.
Ioannes P. XXII.
Ioannes à Calaia.
Ioannes Garzo.
Ioannes Driedo.
Ioannes Gerso.
Ioannes Neapolitanus canonista.
Ioannes de Turrecremata S.R.E. Cardinalis.
Ioannes Viguerius Granatensis.
S. Ioannes Chrysostomus.
Innocentius P. III.
B. Isidorus Episc. Hispalensis.

L.

Laurentius Surius.
S. Leo P. Primus.
Liber ritualis, vel cæremoniarũ.

M.

Macrobius.
M.T. Cicero.
Martinus V.
Martinus Smetius.
Martinus Cromerus.
Mensurius Carthaginensis Episc.
Melchior Canus Episc. Canariẽsis.
S. Maximus Taurinensis Episc.

N.

Nicolaus III.
Nicolaus de Lyra.
Nonius Marcellus.

O.

Optatus Mileuitanus.
Origenes Adamantius.

P.

Petrus in Itinerario Clemẽtis.
Petrus Lombardus.
Pierius Valerianus.
Plato.
Plinius.
Philastrius.

R.

Rabanus Maurus.
Raphael Volaterranus.
Robertus Bellarminus S.R.E. Cardinalis.

S.

Sulpitius Seuerus.
Suetonius Tranquillus.
Syluester Canonista.
Symeon Metaphrastes.

T.

Testamentum Vetus & Nouum.
S. Thomas Aquinas.
Titus Liuius.
Theodorus Balsamo.
Thomas Vualdensis.
Thomas Stapletonus.
Troilus Maluitius Iurisc.

V.

Valerius Maximus.
Vsuardus.
Victor Vticensis.

C A-

CATALOGVS
AVCTORVM

Quos de Canonizatione Sanctorum aliquid scripsisse inuenit, ac legit huiusce Commentarij Auctor.

S. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, ex Ord. Fratrum Prædic. To. 8. Quodlib. 9. q. 7. art. 16. more scholastico.

Henricus de Segusia Archiepiscopus Ebredinensis Card. Ostiensis in aurea iuris ciuilis ac Pontificij Summa, lib. 3. Rubr. de Reliqu. & vener. Sanctorum num. 3.

Augustinus Triumphus Anconitanus ex Ord. Fratrum Erem. S. Augustini more item scholastico in Summa de Potestate Ecclesiæ, quæst. 14. 15. 16. & 17.

Ioannes Franciscus de Pauinis in Canonizatione S. Bonauenturæ in fi. operum eiusdem Sancti To. 7. Opusc.

Ioannes Andreæ Iurisconsultus Bononiensis, & Canonistæ in cap. 1. de Reliq. & vener. Sanctorum.

Thomas Vualdensis ex Ord. Fratrum Carmelitarum, Natione Anglus, in Opere insigni contra Vuitclef, & Hussitas tribus voluminibus distincto, lib. de Sacram. to. 3. tit. 4. cap. 122.

B. Antoninus Archiepiscopus Florentinus ex Ord. Fr. Prædic. p. 3. summæ tit. 12. cap. 8. §. 1. & 2.

Ioannes Gerso, Natione Gallus, Cancellarius Parisiensis p. 2. in Opusc. contra impugnantes Ord. Carthus. & alijs in locis.

Ioannes de Turrecremata ex Ord. Fratrum Prædic. S.R.E. Cardinalis To. 4. p. 3. super Decret. de consecr. dist. 3. nu. 22.

Thomas de Vio Caietanus ex Ord. Fratrum Prædic. S.R.E. Card. To. 1. Opusc. Tract. 15. de Indulg. ad Iul. Card. cap. 8.

Ioannes Driedo To. 1. lib. 4. cap. 1. de varijs dogmatibus & libris apocryphis.

Bartholomæus Cassanæus Burgundus in Catal. gloriæ mundi p. 3. considerat. 48. 49. 50.

Syluester de Prierio Pedemontanus ex Ord. Fratrum Prædic. Magister Sacri Palatij p. 1. summæ, verbo, Canonizatio.

Bartho-

Bartholomæus Fumus Villaurensis Placentinus ex Ord. Fratrum Prædic. Inquisitor, in Summa armilla, verbo, Canonizatio.
Ambrosius Catharinus ex Ordine Prædicatorum lib. de certa gloria, inuocatione, ac veneratione Sanctorum.
Ioannes Viguerius Granatensis ex Ord. Fratrum Prædic. in Institutionibus Theol. de Virtute fidei, Ver. 4. de Canonizatione nu. 104. vel cap. 10. §. 3. ver. 15.
Melchior Canus Episcopus Canariensis ex Ordine Fratrum Prædicatorum lib. 5. de locis theologicis cap. 5. conclus. 3.
Dominicus Bañes Mondragonensis ex Ord. Fratrum Prædicatorum commentar. in 2. 2. S. Thomæ q. 1. art. 10. dub. 7.
Troilus Maluitius iurisperitus Bononiensis, Tractatuum To. 14. ex recentioribus; ex vetust. To. 15. de Canonizatione Sanctorum dub. 1. 2. 3. & 4.
Ioannes de Neapoli canonista ex Ord. Fratrum Prædicatorum.
Iacobus Castellanus de Fara Canonicus Lateranensis.
Iosephus. Mascardus Iurisconsultus Sarzanensis Protonotarius Apostolicus Vol. 1. de probationibus conclus. 262.
Petrus de Arragona ex Ord. Fratrum Erem. S. Augustini commentar. in 2. 2. Sancti Thomæ q. 1. art. 10.
Cæsar Baronius S. R. E. Cardinalis in Not. ad Martyrologium Die 4. Martij.
Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis è Societate Iesu To. 1. controuers. lib. 1. de Beat. & Canonizatione Sanctorum cap. 7. 8. 9. & 10.
Petrus Galesinius Protonotarius Apostolicus de vita, & Canonizatione Sancti Didaci Complutensis.
Franciscus Penia Rotæ Auditor, de vita, miraculis & actis Canonizationis eiusdem Sancti; Necnon S. Raymundi.
Gregorius Nunnius Coronel Lusitanus ex Ord. Fratrum Eremitarum S. Augustini To. 1. de Optimo Reip. statu lib. 3. cap. 11.
Seuerinus Cracouiensis ex Ord. Fratrum Prædicatorum de vita, miraculis & actis Canonizationis Sancti Hyacinthi.

IN COMMENTARIVM
F. ANGELI . ROCCHÆ . CAMERTIS
APOSTOLICI . SACRARII
PRÆFECTI
De Canonizatione Sanctorum
EPIGRAMMA
POMPEII VGONII.

DVM iubar Hesperiæ Raymundum, vindicat aris
Solemni Clemens Relligione Pater.
Te Ritus, operisq. fides, & certa potestas
Clauigeri ætherei, Roccha, docente patet.
Quis neget hoc? Sancti Clemens pia comprobat acta,
Clementis factum pagina docta probat.

EIVSDEM.

Sparsa voluminibus, longaq. ambage librorum,
Exiguum profert hoc tibi Lector opus.
Quæ ratio hinc disces, qui mos, quæ summa Potestas
Nomina det Fastis rite colenda sacris.
Vtq. Patris Latij nequeat mens prouida falli,
Aethere quem lapsi flaminis aura regit.
Certa quibus constent etiam miracula signis,
Quæ nulla Stygius luserit arte Draco.
Vtq. Deum vano falsorum distet honore,
Cælitibus veris iure tributus honor.
Tanta breui, dices, claudi potuere libello?
Angelico clausit Angelus ingenio.

EIVSDEM.

Summa Petri sedes falli quia nescia, Cæli
Sedibus adscriptos qui meruere probat.
Nec negat hoc quisquam, veterum nisi more Gygantum
Impia in æternum qui mouet arma Deum.

Angele

Angele tu assertor vero, cælestibus armis,
Defensorq. sacræ Relligionis ades.
Non secus ac contra Superis Babylona minantem,
Cælica pugnauit cum Michaele cohors.
Aduersus fidei certant tua scripta rebelles,
Et liber hic clypeus, lancea, fulmen erit.

E I V S D E M.

E pheretro emissa quondam Iouis alite, Cælum
Credidit Augustis se dare Roma suis.
Scilicet hac vana ludebat imagine Gentes,
Impia constituens numina, templa, sacra.
At Petri, qui iura tenet, soliumq. Sacerdos
Cælicolas merito donat honore pios.
Nempe quòd æquarunt animi candore columbas,
Turtur & vt superis ingemuere bonis.
Hinc auis in morem petierunt æthera pennis;
Et se se Aligeris inseruere choris.
Hoc calathis oblata docent, dum sacra litantur
Munera, quæ populus pendulus ore videt.
Tu Ritus causas aperis, sensusq. latentes;
Angelus es, Cælo tu quoque mente volas.

E I V S D E M.

Sæpe latet vitium virtutis imagine tectum,
Fucat & ingenuus pectora nigra color.
Falsa quoque humanas ludunt miracula mentes,
Tartara cum vires exeruere suas.
Non tamen his credat falli quis forte Parentem,
Qui Christi in terris sceptra, vicemq. gerit.
Namq. suis fastis signat quæ nomina, Cælo
Aureis inscripsit iam Deus ante notis.
Ne dubites, satis est Rocchæ triuisse libellum,
Vnum pro cunctis quod tibi tradit opus.

ANTONII. BOSII.

Vt latos campos prouentu frugis opimæ
Exiguus superat si bene cultus ager:
Sic docta scriptum Rocchæ breuitate libellum
Anteferas magnis iure voluminibus.
Cælicolum quidquid sacro debetur honori,
Hic oculis, Lector, subdidit ille tuis.

Quid

Quid numeras chartas? pendas si pondera rerum,
Non poterat (dices) plenior esse liber.

DOMINICI. TEMPESTÆ.

Inclyta Cælestem in numerum quos facta tulerunt,
Romanus toto comprobat orbe Pater.
Tu sacri Ritus seriem, faciemq. modumq.
Angele ab antiquis tradis originibus.
Historiæ tibi sacra fides debebit, & ipsa
Sacra cohors studijs officiosa tuis.
Viuet opus per te, viuesq. perennis eorum
Munere, qui Cæli promeruere decus.

PETRI. MARIONII.

Cæliculum illustres titulos & nomina pandis
Sintq. sacra in terris qua ratione doces.
Romanumq. probas non posse errare Parentem,
Qui summi in terris sceptra Tonantis habet.
Quippe patent veris illorum testibus acta,
In fastos quorum nomina digna refert.
Hæc tu tam doctè, & tanta breuitate recenses
Angele, vt ingenio sit decus omne tuo.

DOMINICI. ANCAIANI.

Impia sacrilegum concedant carmina vatum,
Non Venus, aut turpis Iuppiter astra tenent.
Fabula sunt illi, paucos capit aula Tonantis:
Quos fictæ haud voces, vera sed acta probant.
Hinc se Pontificum diuina potentia iactat,
Nescit & æthereas qui tenuere domos.
Sic homini sic astra patent, vt Roccha libello
Comprobat, haud alia sunt adeunda via.
Et superi iam, cui meruit traduntur honores,
Et dat, cui superas fas reserare fores.

PAVLI. THVNNI.

Pontificum fidus sacris comes, atque minister
Egregiè studium ponere Roccha soles.
Nam sacra cum tractes, sacræ quoque iura tueris
Sedis, & es gemino gratior officio.
Ecce Patris summi per te defensa potestas,
Qua meritò in fastos nomina sacra refert.

Nec

Nec minus aſſertus Sanctis honor ætheris alti
Templa quibus terris iure locanda doces.
Eſt ſacrum Vaticana tibi munus in aula
Angele, ſed ſacrum non minus ingenium.

NICOLAI. VESPÆ.

Cælicolæ magni quamuis ſublimis olympi
Regia, vos claro numinis ore beat;
Ne tamen humanos etiam contemnite honores,
Et iuuet hic templis rite ſacrisq. coli.
En hoc Succeſſor Petri vos munere donat,
Dum meritis veſtris arbiter æquus adeſt.
Angelus id factum firma ratione tuetur,
Doctrinæ promens vberioris opes,
Vos modo de Cælo fas eſt vtriſque fauere,
Queis veſtrum cordi cernitis eſſe decus.
Paſtorem ſeruate pium, dat qui aurea templa,
Atque illum calamo qui data iure docet.

THOMÆ. FEDERICI.

Dum magna exiguo comprendis Roccha libello,
Quo meritis Cælum debita templa doces,
Ingenij vires non terræ finibus arctas,
Ingenio celeri ſed ſuper aſtra volas,
Inde igitur referent Cæli tibi præmia Ciues,
Hic impar meritis eſt decus omne tuis.

HIERONYMI. CALICIS.

Inſignes pietate viros, quos intulit aſtris,
Præmia virtuti qui Deus æqua refert.
Vt colat, vt votis tellus, vt thure precetur,
Iudicio & ſummi pendet ab ore Patris.
Ecquis erit terris hæc qui cæleſtia pandat?
Angelus è Cælo nuncius ecce venit.

ALFONSI. FERRI.

Angelus æterno Superi vos ornat honore,
Nomina dum faſtis veſtra ſacranda refert.
Huius vos ceptis præſenti numine adeſte,
Et precibus gratis conciliate Deum.
Non erit vt quiſquam vos abneget æthere dignos,
Dum viuent docti ſcripta diſerta Viri.

DE SANCTORVM Canonizatione Commentarius.

SANCTITATIS NOMEN VNDE ORIGINEM trahat. Cap. I.

NOs de Sanctorum Canonizatione verba facturi, ab ipsiusmet Canonizationis definitione Commentariũ nostrum auspicabimur, Eloquentiæ latinæ Patrem hoc loco imitaturi, ex Aristotelis doctrina dicentem: Omnis enim, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id, de quo disputetur. Antea verò quàm definitionem aggrediamur, nominum etymologiam explicare libet, vt ad ipsam definitionem indagandam facilior nobis reddatur aditus.

Cic. lib. 1. de Off.

Aristot. 6. Topic.

Sanctum ab Ethnicis nonnisi à sanguine hostiæ nuncupatum narrat Isidorus in suo Etymologiarum libro: *Nihil enim apud eos* (inquit) *dicebatur sanctum, nisi quod hostia sanguine fuisset consecratum, aut conspersum.* In veteri etiam lege omnia sanguine animalium in sacrificijs sanctificabantur, aut mundabantur, Beato Apostolo teste, qui ait: *Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.*

Isid. lib. 15 cap. 4.

Hebr. 9.

Hac ratione Beati omnes in cælo existentes, sancti dicuntur, req. ipsa sunt, quia in sanguine Agni immaculati à suis peccatis mundati olim fuerunt, iuxta illud

Apocal. 1. Apocalypseos dictum: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Quod autem Latini appellant sanctum; Græci Ἅγιοι dicunt, quasi sine terra; propterea Beati in Cælo verè nuncupantur sancti, quia tam operis, quàm desiderij terreni sunt omninò expertes. Hæc de nomine sanctitatis, vt ad Canonizationis vocem accedamus.

Canonizatio vnde dicatur. *Cap. I.*

Ex Isid. li. 6 c 15. Et dist 3. c. 1. Can. Canonizatio ortum habens à voce Græca, *Cánon*, qui à Latinis regula nuncupatur, examinatio ad regulam interpretari potest. Si itaque vniuersa alicuius vita ad totius perfectionis regulam examinetur, req; vera ipse omni ex parte perfectus, ac verè Sanctus inueniatur, is dubio procul canonizatus, hoc est canonicè approbatus, vel ad regulam examinatus, Sanctorum Catalogo adscribendus iu- *Isid. vbi sup. dist. 3 c. 2 Regula Et Isid. libro 19. c. 18.* dicatur: Regula enim, vt Isidoro placet, dicta est quòd rectè ducat, nec aliquando trahat aliorsum; vel quòd regat, normamq; rectè viuendi, agendiuè præbeat; seu distortum, prauumq; corrigat. Vel, vt alibi Isidorus ait, dicitur regula, quòd sit recta, quasi rectula, impedimentum non habens.

Hinc sicut superstitiosa, & falsa inter fictos Ethnicorum deos relatio à Græcis Apotheosis, & à Latinis Deificatio vocabatur; Dij verò ex hominibus facti Græcè Δαίμονες Dæmones, ob scientiam, vt ait sanctus Pater Au- *S Aug li. 9. de Ciu. Dei c. 20. tom. 5.* gustinus, ita dicti, Latinè Diui, & Indigetes, quasi in Dijs agentes, vel nullius rei indigentes vocitabantur; & indigitatio, seu potius indigetatio pro Deificatione, vt reor, à Macrobio vsurpata, sumebatur; ita & iure qui- *Macrob. li. 1 som. cap. 9.* dem in Sancta Dei Ecclesia homines inter Cælicolas canonicè relati, Sancti nuncupantur, veraq; item, & sacra

inter

inter Sãctos relatio pro sanctificatione Canonizatio vocitatur. Quare Ascensius in Daphnide Virgiliano relationem Ethnicorum in Diuos Apotheosim, à verbo ἀποθεόω, quod est Deifico, vocauit: quæ quibus cæremonijs apud Romanos fieri consueuerit, Herodianus in lib. de Romanorum Imperatorum vita, & rebus gestis quarto eleganter scribit. Quamuis autem huius generis in Catalogum Sanctorum relatio satis belle sanctificatio dici posset, vsitato tamen nomine Canonizatio passim vocitatur, atque hunc in modum à Theologis, & Canonistis definitur.

Ascensius

Herod. lib. 4. sub initium.

Canonizationis propria definitio. Cap. III.

CAnonizatio est canonica, & publica sanctitatis alicuius hominis approbatio, qua quis Catalogo Sanctorum adscriptus declaratur, & solemniter promulgatur, cunctisq. Christifidelibus inuocandus, diuinique officij celebratione venerandus proponitur. Catalogus namque non est sermo vniuersalis, vt nonnulli, & inepte quidem, scripserunt, sed est enumeratio, ac recensio, à verbo καταλέγω, vel καταλέγομαι, quod est recenseo, & connumero, dictus. Nam Turrecremata in prima Decreti Parte, dist. 34. num. 1. ait, Catalogum esse ordinatum sermonem dictum à Cata, quod est iuxta, aut ordo, & logos, idest, sermo. Sed in tertia Parte Decreti dist. 3. ad. 5. num. 23. inquit, Catalogum dictum esse à cata, quod est vniuersale. Ostiensis verò primam sequitur interpretationem in Summa lib. 3. de Reliquijs, & veneratione Sanctorum num. 1. Vtraque tamen interpretatio est falsa, Græca voce, *Catalogus*, ignorata.

Canoniz. sta in c. 1. de reliqu. & ven. Sanct. Viguer. Siluest. et alij.

Sanctos Canonizandi auctoritas ad solum Romanum Pontificem, vel ad Concilium legitimè congregatum pertinet. Cap. IV.

Cyp. lib. 1. epistol. 17. & lib. 3. epist. 6.

QVilibet olim Episcopo in sua tantum Dioecesi, aut Prouincia Sanctos canonizare licebat, vt apud sanctum Cyprianum videre est: sanctus namque Cyprianus ad Clerum suum scribens, hortatur, vt omnem humanitatem, & curam erga Confessores (hoc est Martyres) tum viuos, tum in carcere defunctos adhibeat; necnon diem, quo quisque ex hac vita decedit, in codices diligenter referat ad memoriam eorumdem singulo quoque anno concelebrandam: De Confessorum mortis die conscribenda Sanctus ipse in hanc loquitur verborum formam: *Denique, & dies eorum, quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus (quamquam Tertullus fidelissimus, & deuotissimus frater noster conscripserit, & scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt) & celebrentur hic à nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum, Domino protegente, celebrabimus.* Hæc S. Cyprianus; ex cuius verbis Canonizatio ab Episcopis in sua tantum Dioecesi celebrari consueta nobis indicatur: ea tamen Canonizatio certam fidem non præstabat, nec Ecclesiam vniuersalem obligabat. Quæ deinde consuetudo abrogata fuit; & ad varios abusus amouendos rationabiliter ab Alexandro III. vetita: ita scilicet, vt ne quis tempus in posterum pro sancto venerari inciperet absque Romani Pontificis approbatione. Quamuis autem in tertia Decreti Parte de consecratione ex capit. 1. Pronunciandum, Festiuitates celebrandæ sint illæ omnes, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus collaudabunt; hoc tamen intelligendum est nonnisi de Festi-

Confessorum nomine Martyres intelliguntur. Vide Iacob. Pam. in epist. 9. Cypr.

S. Cyp. ep. 37.

Alex. III. li. 3 Decretal. tit. 45. de reliqu. et ven SS. c. 1. & 2.

uitati-

titatibus Sanctorum, qui à Summis Pontificibus fuerunt canonizati, vt rectè sentit Ioannes Azorius in secunda Parte institutionum moralium lib. 5. cap. 6.

Sanctos itaque canonizandi auctoritas ad solum Romanum Pontificem pertinet. Hanc conclusionem non solum ex communi tàm Theologorum, quàm Canonistarum sententia omninò confirmamus, sed duabus etiã rationibus comprobamus. Sicut enim Christus Dominus solus est, qui in Ecclesia triumphante sanctificat, vt ipsemet in Leuitico testatur, dicens: *Ego Dominus, qui sanctifico eos*; ita in Ecclesia militante ad solum Romanum Pontificem, qui est Christi Vicarius, sanctificationis approbatio, & promulgatio pertinet. Præterea sicut ad solum Romanum Pontificem quæstionis de fide definitio aut determinatio pertinet; ita etiam publica, & externa Sanctorum veneratio, quæ est quædam fidei protestatio Quamuis autem Episcopus in sua Dioecesi, aut Prouincia Sãcti alicuius canonizati festiuitatem, aut solemnitatem indicere possit; ad solum tamen Romanum Pontificem, qui est vniuersæ Ecclesiæ militantis, cum plenitudine potestatis iudex & caput, vel ad Concilium legitimè congregatum, Sanctum quemque canonizare, eiusdemq; venerationem, aut solẽnitatem Ecclesiæ vniuersæ obseruandam proponere, siue indicere pertinet. Quòd ad solum Romanum Pontificem, vel ad Concilium legitimè congregatũ Auctoritas canonizandi sanctos pertineat, Io. Andreas in cap. 1. Tituli 45. de Reliquijs, & veneratione Sanctorum quinq; rationibus probat. Idem facit Sanctus Antoninus in 3. p. suæ Summæ tit. 22. c. 5. §. 5. Abbas Panormitanus, & Imola in c. finali de Ferijs. Cassanæus de gloria mũdi par. 3. Considerat. 47. Io. de Turrecremata in cap. 1. de Consecrat. dist. 3. An Canonizatio fieri queat à solo Papa sine Cardinaliũ consensu, aliqui Doctores tuentur partem negatiuam, cum hoc sit de rebus arduis, quæ per Papam sine Cardinalium

Viguer. de virt. fid. 104. versic. 4.

Leu. 21.

Canonizatio est fidei quædã protestatio.

Coc. Trid. Sess 25. de regular. c. 12. Verbo Dies etiã festi & distin. 12 6. de hisс.

Turrecr. libro 2. de Eccl. c. 52.

Bagnes in 2.2. S. Th. q. 1. ar. 10.

Io Andr. lib. 6.

Lib. 3. Decretal. tit. 45.

nastum consensu explicari non possunt. Sed contrariam opinionem tenet gloss. in capit. fundamenta §. decet. in verbo, contingeret, de elect. lib. 6. Barbat. in consil. 1. volum. 1. Sanctus Antoninus in sua summa par. 2. tertiæ Partis. Cassanæus autem vbi supra concludit bonum esse, si Papa requirat hac in re Cardinalium consilium, licet illud sequi non teneatur.

De antiquitate canonizandi Sanctos. Cap. V.

QVamuis ea solemnitate, qua hodie in Sanctis canonizandis Ecclesia Catholica vti solet, Ecclesiæ primitiuæ Sancti Catalogo Beatorum adscripti non fuerint; Ritu tamen aliquo in Codices referebantur à Notarijs, & Diaconibus, qui eorundem animi submissionem, siue humilitatem, & patientiam; pietatem, abstinentiam, & charitatem; miracula denique, actaq; omnia, & quæcunque illa sint, quæ veram hominis sanctitatem præseferunt, ac facile declarant, iussu Romanorum Pontificum conscribebant: Res item Martyrum gestas, necnon varias propter iustitiam persecutiones, & cruciatus omnes, ac necem pro Christi fide susceptam litteris mandabant. Iamq; inde à nascentis Ecclesiæ primordio, vt infra statim ostendemus, iussu eorumdem Romanorum Pontificum, Sanctorum nomina, necnon dies, quibus ex hac vita decedebant, in codices referebantur. Ex hoc deinde annotandi, conscribendiue genere originem postea sumpserunt Martyrologia quæ vocantur; quorum primus auctor fuit Eusebius, cuius Martyrologium sanctus Hieronymus in Latinum transtulit; Beda sub initium Retractationum in Acta Apostolorum attestante. Illum imitati sunt idem Beda, Ado Treuerensis, & Florus quidam, vt ait Pamelius: iussu autem Karoli Magni suum congessit Marty-

Iacob. Pamel. in ep. 37. Cypr. Beda to. 6.

rolo-

rologium Vsuardus, illud tamen, quod à Romana Ecclesia fuit congestum, atque concinnatum, hodie in omnibus Ecclesijs legitur. Apud Græcos idipsum, sed prolixius præstitit Symeon Metaphrastes. De Martyrologijs, occasione suadente, hactenus, vt ad nostrum de antiquitate canonizandi Sanctos institutum accedamus.

Ad hanc rem præstandam iam inde, vti diximus, ab Ecclesia primitiua, anno scilicet à Verbo incarnato nonagesimotertio S. Clemens huius nominis primus, septē Vrbis regiones Notarijs diuisit, eisq. iussit, vt res Martyrum gestas conscriberent, sicut Platina, Anastasius Bibliothecarius, Damasus, & alij, qui vitas Romanorum Pontificum litteris mandarunt, perspicuè testantur. Idē interea Sanctus Anterus Papa, innouando, statuit, dum anno à Christo nato 236. res Martyrum gestas diligenter exquisitas, & à Notarijs conscriptas in ærarium Ecclesiæ reponendas curauit. Sanctus autem Fabianus anno salutis nostræ 236. Notarijs septem totidem Diaconos adiunxit, quibus mandauit, vt res Martyrū gestas, ac dies mortis eorumdem à Notarijs conscriptas ad ceterorum exemplum, qui Christi fidem profitebantur, colligerent. Sanctus denique Felix huius nominis primus, anno à Virgineo partu 271. Martyrum gloriæ (vt ait Platina) consulens, decreuit, vt singulo quoque anno statis diebus sacrificia in eorumdē Martyrum memoriam celebrarentur: quæ sanè res canonizatum iam Sanctum aperte declarans, & concludens, à ceteris, qui proximè successerunt, Pontificibus obseruata semper fuit.

Tempore item Diocletiani Imperatoris, & Marcellini Papæ & Martyris circa annum Domini 296. plus minusvè, aliquem canonizandi ritum fuisse quis dicat necesse est. Nam Mensurius Carthaginensis Episcopus, qui eo seculo floruit, illos, qui ex Diocletiani edicto sacros codices dare nolebant, eamque ob causam martyrium subibant, in Martyrum numerum referri debere censuit:

Anno Domini 93.
Platina. Anastasius Bib. & alij.
Anno Domini 236.
Anno Domini 236.
Anno Domini 271. Platina.
Anno Domini 296.

faci-

facinorosos autem, fisciq. debitores, hoc est, ære alieno grandi obstrictos, vel onerosa multis debitis vita carere volentes, vel purgare sese, vel facinora sua quasi abluere, vel certè pecuniam acquirere, & in carcere de obsequio Christianorum delicijs perfrui putantes, vltroque ob id persecutoribus, occasione persecutionis captata, sese offerentes, inter Sanctos connumerari idem Mensurius vetuit. Hæc ex Beato Patre Augustino in Breuiculo suo, in quo rem totam diligenter scribit.

S. Aug. Coll 3. dies c. 5. to. 7. circa annū Domini 400.

Optatus quoque Mileuitanus sancti Patris Augustini contemporaneus, aliquem etiam canonizandi ritum tunc temporis fuisse monet, dum Lucillam factiosam fœminam à Cœciliano reprehensam, quòd ipsa ante sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem os nescio cuius hominis iam demortui, etsi Martyris, sed nondum, vt ille ait, vindicati, hoc est, nondum probati, ac recepti vel canonizati, exoscularetur, expresse narrat.

Opt. Mileu. lib. 1. cōtra Parmen.

Asseruantur in Bibliotheca Vaticana codices manuscripti, & quidem vetustissimi, Lectionarij nuncupati, Martyrum res gestas complectentes, in quibus videre licet, quomodo Ethnici sanctorum hominum reliquias vel in mare proijciendas, vel proterendas & cōculcandas curabant, ne (vt aiebant) Deificarentur, hoc est, vt Christiano more loquamur, ne Sanctorum Catalogo adscriberentur.

Ex Biblioth. Vaticana, circa an. Domini 350.

Huic ferè adsimile Victor Vticensis in primo de persecutione Vuandalorum libro scriptum reliquit, vbi de Armogaste Martyre in hanc loquitur verborum formā: *Quem* (Armogastem scilicet) *cum Theodoricus Regis filius, qui eius dominus erat, pœnis non valentibus, capite truncari iussisset, à suo prohibetur Iocundo presbytero, dicente sibi: Poteris eum diuersis afflictionibus interficere: Nam si gladio peremeris, incipient Romani* (hoc est Christiani) *Martyrem prædicare:* Hucusque Victor, qui per Romanos nonnisi Christianos intelligi voluit: frequēter enim in historijs Christia-

Vict. Vtic. lib. 1. non procul à fine. Ex to. 7. Bibliot. SS. Patrū circa ann. Domini 410.

per

ni per Romanos intelliguntur, quatenus Roma Christianitatis caput est, atque sedes, peculiariq. nomine sancta Dei Ecclesia Romana vocitatur. Hæc sanè omnia nonnisi quendam canonizandi ritum præseferunt, non ea tamen insignitum solemnitate, qua, sicut diximus, Ecclesia hodie vti solet.

Troylus Maluitius Iurisconsultus Bononiensis in tractatu de Canonizatione Sanctorum, Apollionem quendam Eremitam, Natione Græcum, primum canonizatum fuisse ait: quem tempore Christi quadam in silua Pastoribus prædicasse, Saluatorem nostrum esse verum Messiam, ob idq. clauis ligneis à Iudæis fuisse occisum, ac tandem à Nicolao huius nominis primo, cui hoc (inquit) martyrium à Deo reuelatum fuit, in Sanctorum numerum relatum fuisse scribit. Id quod quantum ad Martyrium, & Canonizationem pertinet, apocryphum esse reor: quia nec de homine, nec de re ipsa apud vllum Scriptorem mentionem factam esse inueni. Adde etiam quòd Maluitius dictam historiam se legisse ait in quodam vetustissimo codice, quem tamen titulo, & Auctoris nomine carere fatetur. *Troylus Tracta. tuũ to. 14. Dub. 4. num. 46.*

Ego vero cum Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinale, docto, & pio in primis Viro, primam Canonizationem à Leone III. anno Domini DCCCIII. solemniter celebratam fuisse opinor. Leo enim in Germaniam profectus, Imperatoris Karoli, & Hildebaldi Archiepiscopi Coloniensis rogatu Vuerdam, Imperiale oppidum, sese contulit, ibiq. Missa ab eodem Hildebaldo solemniter decantata, Suitbertiq. vita, quam S. Marcellinus eius socius & conterraneus conscripsit, perlecta, dictum Suitbertum Episcopum Vuerdensem in Sanctorum numerum retulit, vt Sanctus Ludgerus Episcopus Monasteriensis in Epistola ad Rixfridum Traiectēsem Episcopum de miraculis eiusdem Suitberti scribit in hæc verba: *Pridie nonas Septembris S. Leo Papa* *Rob. Bellarm. to. 1 cõtrou. lib. de Sanctorũ beatitudine et canonizat. cap. 8.*

Laur. Surius to. 2. Die 21. Martij. pag. 39. *de assensu pariter & consensu suorum Cardinalium, caeterorumq. Praelatorum illic coram adstantium, solemniter Suitbertum Catalogo Sanctorum confessorum adscripsit.* Hæc ex Laurentio Surio in secundo de historijs Sanctorum Tomo. Quæ sanè omnia, hoc loco à me recitata, solemnitatem Canonizandi Sanctos apertè demonstrant. Ante solemnem Suitberti Canonizationem aliæ fortasse Canonizationes fuerunt à Romanis Pontificibus solemniter celebratæ, quas inuenire non potui. Ceteri ante Leonem Tertium Pontifices, si non solemni, eo saltem ritu, quem nuper diximus, Sanctorum Canonizationes præstiterunt. Hæc de antiquitate Canonizandi Sanctos, vt causas canonizandi aggrediamur.

De causis Canonizandi Sanctos. *Cap. VI.*

AD subortas longo post tempore fraudes, aut fallacias tàm hæreticorum, quàm aliorum item scelestorum hominum cauendas, necnon ad ambitionem cum affectu humano adiunctam reijciendam, siuè ad simulatam sanctitatem detegendam, maior in Canonizatione Sanctorum inuestigatio præstari cœpit. Hæretici enim atque Schismatici cruciatus, ac necem passi pro Christi nomine aliquibus visi sunt, quos tamen à Catholica fide alienos Ecclesia Dei non recepit; Martyrem namq. Christi, vt ait S. Pater Augustinus multis in locis, non pœna facit, sed causa: & quidquid patiuntur ij, qui extra Ecclesiam Catholicam sunt, perfidiæ pœna non martyrium esse censetur. Exemplis autem Pseudomartyrum silentio prætermissis, exemplum de Hermanno quodam hæretico fictæ sanctitatis homine, hoc loco subijciendum censeo: is enim vita functus, sanctitatis opinionem ac venerationem consequutus fuit, totoq. viginti annorum interuallo retinuit; cuius cor-

August. to. 2. epist. 61. et 166 & alijs locis.

Platina in Bonif. 8. de Hermanno haeretico.

a pus

pus post dictum annorum spatium (teste Platina) Bonifacius Octauus exhumari, comburique iussit, diligentissima de ipsius hæresi, fictaq. sanctitate, habita inquisitione.

Bonif. 8.

Affectus item humanus, cum ambitione coniunctus, fuit in causa, cur ex hac vita piè decedentes, tum consanguineos, tum affines & amicos tanquam Sanctos, pro suo quisque arbitrio, & affectu venerâretur, patrociniumq. ab eis publicè imploraret. Hinc perturbatione atque confusione suborta, ille, qui à quibusdam vti Sanctus colebatur; ab alijs magno cum scandalo irridebatur. His, alijsq. de causis res tanti ponderis ac momenti, cuiusmodi Sanctorum Canonizatio est, non nisi mora interposita, & quidem longa, diligentissimaque habita inuestigatione, medijs interea & Principum, & Ciuitatum, Nationumq. summis precibus, vt scilicet veritas ipsa splendidius elucescat; in annos plurimos differri solet, ac iure debet. Id quod, exemplis hoc genus multis silentio prætermissis, in Canonizatione sancti Stanislai Episcopi Cracouiensis, & Martyris, qui anno 175. post martyrium Catalogo Sanctorum fuit adscriptus, factum constat.

Canonizatio cur diu differri debeat.

Stanislai canonizatio.

Cum enim sub Innocentio IV. Pontifice Maximo diu multumq. pro eo canonizando laboratum esset, Raynaldo Episcopo Cardinale Ostiensi (qui Innocentio successit, & Alexander IV. nuncupatus fuit) dictam Canonizationem, vt Surius testatur, mirum in modum impediente, Stanislaus Raynaldo aduersa valetudine grauissimè laboranti, omniq. viuendi spe destituto, ac moribundo, vigilanti tamen, ac decumbenti, vt idem Surius ait, apparuit, eiq. in signum sanctitatis suæ mandauit, vt illico sanus è lecto surgeret. Raynaldus itaque expresso Dei miraculo sanus omnino ac statim effectus, Stanislai Canonizationi maiorem deinde in modum tota re perspecta suffragatus est. Hæc de causis, & anti-

Laur. Surius i Stanislao to. 3. Die 8. Maij prope finem.

Stanislai apparitio, & miraculum.

tiquitate Canonizandi Sanctos, vt ea, quæ ad Canonizationem pertinent, explicemus.

Quænam sint illa, quibus præuijs in Canonizatione solemni, Sanctorum Catalogo adscribi quis potest.

Cap. VI.

QVamuis multi sint, qui de rebus ad Canonizationem celebrandam pertinentibus aliqua ex parte conscripserint; omnes tamen vno consensu eadē fere scriptis hac in re mandarunt. Hæc itaque rei tanti ponderis, ac momenti pernecessaria, quanti est Canonizatio, ordine iuxta intellectus mei captum immutato, multis interea rebus additis, diuisioneque rerum dicendarum præuia, hoc loco censeo enumeranda; aliqua enim ad Canonizandum, aliqua ad Canonizantem, aliqua vero ad Canonizandi formam pertinentia nobis hoc in Commentario sese offerunt consideranda.

Quænam in eo, qui canonizandus est, requirantur.

Cap. VII.

I. FAma inculpatæ vitæ longa temporum serie, ad finem vsque vitæ inclusiuè nunquam interrupta, pro quouis canonizando in primis requiritur, ac postulatur.

II. Vitæ autem rectitudo, catholica fide præuia, & factis & dictis comprobatur: nam circa spiritualia, & corporalia misericordiæ opera; circa item castitatem, sobrietatem; & abstinentiam; circa bonos mores, actus, & labores multos, vel pro fide, vel pro animarum salute constanter toleratos; & circa denique virtutes

tutes omnes, præsertim vero circa Christianam humilitatem versatur.

Vitæ sanctimonia potest esse simulata & ficta, cuiusmodi vita Hypocritarum est. Hypocrita enim est alienæ personæ simulator; vnde Histriones & alij fabularum actores, Hypocritæ propriè vocitantur à verbo III. Græco ἀπὸ τοῦ ὑποκρίνεσθαι, quod inter alia simulare significat; & sicut in Comœdijs ac Tragœdijs actio ipsa hypocrisis dicitur, ita à Rhetore hypocrisis appellatur, quam Latini pronunciationem vocant, in gestu, motuque præcipuè consistentem, cui Demosthenes primas, secundas, & tertias tribuit. Hinc per metaphoram seu per translationem homines illi, qui ab ea, quam simulant, persona longissimè absunt, dum aliud in pectore, aliud in ore, atque in externis actionibus gerunt, vt probi, ac pij esse videantur, translatè Hypocritæ, hoc est simulatores vocitari solent, eorumq; actio hypocrisis appellatur. Vera itaque vitæ integritas & innocentia miraculis interdum illustratur, ac declaratur.

Hypocrita nomen vnde dicatur.

Hypocrisis duo significat.

Quamuis vera vitæ sanctitas sine miraculis pro aliquo canonizando sufficiat, contra verò, non item; vt IV. S. P. Augustinus docet; ea tamen miraculis splendidius comprobatur, ac demonstratur, dummodò in eis veri miraculi conditiones non desiderentur.

Miracula vera ad Canonizationem præstandam pertinentia quomodo à non veris discernantur. Cap. IX.

Miraculorum inuestigatio diligentissima esse debet; propterea quòd tam à malis, quàm à bonis hominibus fieri possunt, immò & à Dæmonibus ipsis mirabilia quædam perpetrari solent; quæ tamen miracula re vera non sunt, vt infra ostendemus. Miraculum namque propriè sumptum, sicut S. Thomas,

Doctor

S. Th. p. 1. q. 110. ar. 4. et quaest. 114. ar. 4.

Doctor Angelicus, ac ceteri Doctores Theologi docent, illud est, quod fit præter totius naturæ creatæ ordinem, sub quo omnis virtus creata continetur: si enim lapis, qui suapte natura deorsum tendit, non præter totius naturæ, sed tantum ipsius lapidis naturæ ordinem à quopiam sursum proijciatur, id haud quaquam miraculum dici potest.

Card. Ost. lib. 3. summæ de reliq. et ven. SS.

Cassanæus par. 3. Catalog. glor. mundi consid. 49.

Ex Glossa in c. 1. de Reliq. & ven. sanct. li. 6. in verbo, Sedis Apost.

Quamuis ijs ex rebus, quas hucusque de propria miraculorum natura conscripsimus, veræ miraculorum conditiones fuerint explicatæ; hoc tamen loco ea, quæ Cardinalis Ostiensis, & Bartholomæus Cassanæus in hanc rem scripta reliquerunt, in medium afferre libet. Hi enim quattuor in miraculis pro aliquo canonizando requiri volunt: quorum primum est, vt miraculum non ex arte, aut Dæmone fiat: secundum, vt sit contra naturam: tertium, vt non ex vi verborum, sicut panis in verum Christi corpus miraculosè transsubstantiatur, sed ex meritò hominis fiat: quartum est, vt miraculum ad fidei corroborationem fiat: herba enim, vt aiunt, hominis ministerio transit in vitrum, nulla fidei corroboratione intercedēte. Hæc ex Cassanæo, & Ostiēsi, post Glossam. Ea itaque opera, in quibus dictæ conditiones desiderantur, miracula vera dici non possunt. Nunc reliquum est, vt mirabilia Dæmonum, aut Magorum opera examinentur, ne falsa pro veris miracula suscipiantur.

Miracula vera quomodo à bonis & malis Christianis, & non vera à Magis, ac Dæmonibus fiant. Cap. X.

Miraculum propriè sumptum non nisi à Deo fieri potest: si autem ab Angelo, vel à Sancto aliquo verum fiat miraculum, id virtute tantum diuina factum fuisse dicas oportet. Fit quoque verum miraculum non solum à bonis, sed etiam à malis Christianis.

nis. A bonis, vt ait S. Thomas, nonnisi per publicam fit *S. Thom.*
iustitiam, quæ in toto mundo est, sicut lex publica in Ciuitate, hoc est, vt ait S. Bonauentura, per fidem ve- *S. Bonauentura.*
ram, quæ verè iustificat, & à veritate prædicatur, ad ipsorum sanctitatem, necnon ad Dei gloriam indicandam, & ad prædicatam veritatem confirmandam. A malis autem Christianis istuc ipsum, Deo conceden- *S. Th. p. 1. 2.*
te, fieri nonnunquam potest, non propriè per publicam *q. 110. art. 4. Et S. Bo*
iustitiam, sed per publicæ iustitiæ signa, quia ipsi fidem *nau. lib. 2.*
habent, & opera videntur habere, Christi nomen inuo- *sent. d. 7. p. 2. q. 2.*
cantes, vel aliqua sacramenta exhibentes. Hæc ex Do- *art. 2.*
ctore Angelico & sancto Bonauentura. Hinc S. Matthæus Euangelista, malos Christianos in die Iudicij vniuersalis dicturos hisce testatur verbis: *Domine, Domine,* *Matth. 7.*
nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Prophetiæ enim, necnon dæmones eijciendi, & miracula faciendi *Prophetia & alia*
facultates sunt gratiæ gratis datæ, quæ, vt aiunt Theo- *gratia gratis datæ*
logi omnes, cum peccato mortali stare possunt. Huius *cum pec-*
autem generis facultates malis Christianis à Deo inter- *cato stare*
dum conceduntur, non ex meritis eorum, qui operan- *possunt.*
tur, sed ex inuocatione nominis Christi ad condemnationem eorum, qui Christi nomen inuocant, atque ad vtilitatem eorum, qui talia vident & audiunt, vt quamuis ea signa facientes contemnant, Deum tamen ad cuius inuocationem tanta fiunt miracula, venerentur & colant. Nam & Saul & Balaam & Caiphas propheta- *1. Reg. 10.*
uerunt, nescientes quid ipsimet dicerent: Pharao, & *Num. 2[?]. 1[?]. Ioan. [?].*
Nabuchodonosor somnijs futura cognouerunt. Et in *Gen. 41.*
actibus Apostolorum filij Scæuæ Sacerdotum Iudæo- *Dan. [?].*
rum Principis, dæmonia eijcere videbantur. Iudas de- *Act. 19.*
nique Apostolus cum animo proditoris multa signa inter ceteros Apostolos fecisse narratur. H.ec ex Beato Hieronymo in sanctum Euangelistam Matthæum. Ma- *Hier. li. 1. c. 7. to. 6.*
li namque Christiani ex fide absque charitate, sine qua

vitam æternam mereri haud quaquam possunt, dictis de caussis dæmones eijcere, miracula operari & prophetare quoque. Hinc Chrysostomus de talibus dixit: *Sed considera, quia in nomine Christi se prophetasse dicunt, non in spiritu: Prophetant quidem in nomine Christi, sed in spiritu Diaboli, quales sunt diuinatores: Dæmonia eijciunt in nomine Christi, habentes spiritum inimici; Magi autem non eijciunt, sed eijcere videntur, colludentibus sibi Dæmonibus: faciunt & virtutes, idest miracula non vtilia & necessaria, sed inutilia & vana.* Hæc Ioan. Chrysostomus, qui malos Christianos, fidem tamen habentes, & Christi nomen in miraculis faciendis inuocantes cum magicam artem exercentibus videtur confundere. Magi enim mirabilia quædam faciunt interdum, quæ reipsa miracula non sunt, vti ostendemus, eaque non nisi per pactum, vt ait S. Thomas, ac ceteri Theologi, cum dæmone initum perpetrant. Mali verò Christiani, per publicæ iustitiæ signa veluti Christi nomen inuocando, vera miracula, sed diuina quidem virtute faciunt. Miraculum namque propriè dictum, quod est, vti diximus, extra totius naturæ creatæ ordinem, causam habens omnibus omninò occultam, à solo Deo fieri potest; à bonis autem & malis Christianis eo, quo explicauimus, modo. Dæmones item, qui exactissima omnium rerum scientia insignes conditi fuerunt, quibus etiam integra & splendidissima post lapsum remanserunt naturalia, mirabilia quædam efficiunt, quæ tamen miracula non sunt, quia causam omnibus omninò occultam non habent, nec extra totius naturæ creatæ ordinem sunt, cuiusmodi, vt ait S. Thomas, vera miracula esse debent.

Chrys. in c. 7. Mat. Chrysost. homil. 14. in cap. 7. Matth, to. 2. incerti Auct.

S. Th. p. 1. q. 110. ar. 4. ad 2.

Miracula verum quodnam sit.

S. Th. p. 1. q. 110. ar. 4 ad 2. & q. 105. ar. 7. in corp.

Opera

Opera Dæmonum mirabilia ab Auguſtino narrata, cur miracula dici non queant. *Cap. XI.*

DIctum in modum facta eſſe, credendum eſt, opera Dæmonum illa, quæ S. P. Auguſtinus in libro de Ciuitate *Lib. 18. c. 16. 17. 18* Dei de Diomedis & Vlyſſis ſocijs; *tom. 5.* illis in volucres, his verò à Circe ſaga in alias beſtias immutatis, deque Arcadibus in lupos, deque alijs per eſum caſei in aſinos conuerſis, narrat. Hæc, & id genus alia, ſuperficie tenus, vt ait S. P. Auguſtinus, hoc eſt *Aug. vbi ſupra.* Dæmonum ludificatione fieri queunt. Hinc in libro de ſpiritũ & anima de alijs Dæmonum præſtigijs (quas omnes mirabili eorumdem perſpicacitati, necnon expe- *S. Auguſt. lib. de ſp. & an. ca. 28. to. 3.* rientiæ tàm magno ſeculorum numero exercitatæ, motuſq. aerei corporis miræ velocitati adſcribit) in hanc loquitur verborum formam: *Dæmones & acrimonia ſenſus (hoc eſt ſubtilitate cognitionis) & celeritate motus aerei corporis, terrenorum corporum ſenſum facile præcedunt, & quædam cogitata prænunciant, quæ homines mirantur propter tarditatem terreni corporis. Acceſsit autem Dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longè maior experientia, quàm hominibus poteſt euenire propter breuitatem vitæ. Idcircò* *Sagæ Concil. Ancyranũ c 24 et 26. q. 5. c. Epiſc.* *quædam futura prædicunt, & quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt, & ſeducunt. Vnde quædam mulierculæ poſt Satanam conuerſæ, Dæmonum illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ, credunt ſe & profitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, vel cum Herodiade & Minerua, & innumera mulierum multitudine equitare, earumq. iuſsionibus obtemperare. Ipſe namque Satanas, qui transfigurat ſe in Angelum lucis, cum* *2. Cor. 11.* *mentem cuiuſque mulierculæ ceperit, & hanc ſibi per infidelitatem ſubiugauerit, illico transformat ſe in diuerſarum perſonarum ſpecies ac ſimilitudines: & mentem, quam captiuam tenet,*

in somnis deludens, modo læta, & modo tristia; modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per deuia quæque deducit. Et cum solus hoc patitur spiritus infidelis, nec in animo, sed in corpore euenire opinatur; idcirco omnis stultus & hebes, qui hæc omnia, quæ spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur; cum Ezechiel et alij Prophetæ, Ioannes etiam Euangelista & Apostoli in spiritu, non in corpore visiones viderint. Hæc Augustinus ad verbum: quæ ferè omnia ex Concilio Ancyrano, à Gratiano inserta leguntur. Toto autem illo tempore, quo homines arte diabolica sopiti existunt, à Dæmone, ait Aegidius, eorum corpora iuxta naturæ exigentiam sustentantur; aliquo scilicet alimento, & subtili quidem in ea corpora latenter immisso.

Ezech. 3. Apocal. 2. & 4. 2. Cor. 12 Decret. 3. p. d. 5. Ep. 26. q. 5. Aeg. lib. 2. sent. d. 3. q. 2. ar. 5. dub. 1. in corp. post med.

Opera Dæmonum mirabilia, quæ non sunt miracula, quot modis fiant. Cap. XII.

DAemonum opera miracula non sunt, quia vires naturæ, vti ostendemus, non superant; sed ijs, qui talium operum causas, aut talia faciendi modum ignorant, mirabilia videntur: ea enim Dæmones faciunt aut humanorum sensuum illusionibus, aut naturalium rerum operatione, naturales videlicet rerum causas disponentes, miraq. celeritate adiuuantes, actiua denique passiuis applicantes, vel corpora huc, atque illuc deferentes; Angeli namque tàm boni, quàm mali omnium rerum cognitionem, ac scientiam callent exactissimam, eisq. ad nutum, quantum ad motum, res corporeæ obediunt, vt id Theologi omnes magno consensu affirmant. Hinc Dæmones ob naturalem omnibus spiritibus inditam facultatem, si à Deo interdum non impedirentur, tot, tantaq. nobis inferrent damna; quot, quantaq. à nobis excogitari non possunt, vt videre est in libro Iob cap. 1.

Angelorum bonorum, & malorum scientia.

Quomo-

Quomodo sensus hominum à Dæmonibus ludificentur ad eorumdem illusiones cauendas. *Cap. XIII.*

QVod ad sopitos, aut ludificatos tàm exteriores, quàm interiores sensus attinet, Aegidius Columna Romanus, Doctor ex instituto S. P. Augustini fundamentarius, id tribus modis fieri posse, tàm rationibus, quàm exemplis docet, & fusissime quidem. Nos autem hac in re breuitati consulentes, eamdem rem paucis explicabimus verbis. Humanorum itaque sensuum tum exteriorum, tum etiam interiorum ludificatio tribus modis, ratione scilicet obiecti, medij, & organi, quantum ad figuram, colorem, & imaginationem, fieri potest. Obiectum, vt de sensu visus loquamur, est res sensata visibilis, quæ visui sese offert; Medium est aer perspicuus, per quem res visibilis ipsi visui offertur; Organum autem, hoc est instrumentum videndi, est oculus. Duo prima facillimè à Dæmonibus, & quantum ad colores, & quantum ad figuras immutari possunt, vt S. P. Augustinus in libro de Ciuitate Dei testatur, dicens: *Quod enim homines coloribus, & corporibus veris, hoc Dæmones figuris fictis facillimè possunt.*

Aegi. lib. 2. sent. d. 8 q 2. ar. 5. dub. 1. Later. in resol.

Aug. lib. 18 cap 5.

Huius autem generis illusiones, vel per fictionem colorum, vel per immutationem sensuum ab eis fieri solent: modica enim in sensu mutatio, vt Aegidius noster ait, ludificat sensum, ita tamen, vt quod non est, ei appareat, sicut phreneticis euenire solet, quibus ob ascensum, vt ita dicam, fumositatum ad cerebrum, quæ re vera non vident, videre videntur. Istuc ferè ipsum nobis dormientibus accidere interdum constat, calore, qui animæ sensitiuæ instrumentum est, à corde ad interiora sublato; hinc sensus exteriores sopitos manere

Aegi.li 2. sent. d. 8. q.2 ar 5. dub. 1. lat.

Aegi. vbi sup. nere necesse est. Hæc ex Aegidio Columna, qui loco nuper commemorato ait, immutari etiam posse organum phantasticum, hoc est imaginatiuum instrumentum, quod est medius cerebri ventriculus, in quo phantasmata, siue species eorum tàm præsentium, quàm absentium à communi sensu phantasiæ, seu imaginatiuæ ipsi oblatæ imprimuntur. Aegi. vbi sup. Sicut autem, inquit Aegidius, organo phantastico, per fumositatum ascensum desiccato, dormientes sibi videre videntur quæ non vident; ita & Dæmon tali desiccatione dictum organum immutando facere potest, vt falsæ imaginationes, aut species, quales sunt, quas dormientes videre sibi videntur, hominibus suo ipsius arbitratu, sensibus sopitis, appareant, nisi à Deo impediatur. Homines autem hunc in modum illusi, quamuis non dormiant, dormientibus tamen, sensibus immutatis, aut sopitis, assimilantur: Dæmones enim, quibus ad nutum res corporeæ, quantum ad motum, vti diximus, obediunt; omnem figuram in quamcunque figuram, omnemque colorem in quemcunq. colorem conuertere videntur, humore oculorum, vt aiunt, variato, vel alterato.

Dæmonum Præstigiæ declarantur ad eorumdem illusiones cognoscendas. Cap. XIV.

DIctis iam modis Dæmonum fiunt illusiones de hominibus in aues, in lupos, in asinos, & in alias bestias mutatis, quas S.P. Augustinus in libro de Ciuitate Dei, & de spiritu & anima, vt vidimus, enarrauit. Hinc idem S. Doctor in eodem libro de huius generis Dæmonum præstigijs nuper recitatis, seu de metamorphosibus, hoc est de transformationibus apparenter tantum, aut superficie tenus

Aug. vbi sup pag. 19. et 20.

præsti-

præſtitis in hanc diſputat verborum formam; *Nec ſanè Dæmones naturas creant: ſi aliquid tale faciunt, de qualibus factis iſta vertitur quæſtio, ſed ſpecie tenus, quæ à vero Deo ſunt creata, commutant, vt videantur eſſe quod non ſunt. Non itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidem alia ratione crediderim Dæmonum arte vel poteſtate in membra, vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe conuerti; ſed phantaſticum hominis* (organum ſcilicet imaginatiuum) *quod etiam cogitando ſiue ſomniando per rerum innumerabilia genera variatur, & cum corpus non ſit, corporum tamen ſimiles mira celeritate formas capit; ſopitis, aut oppreſsis corporeis hominis ſenſibus, ad aliorum ſenſum neſcio quo ineffabili modo figura corporea poſſe perduci, ita vt corpora ipſa hominum alicubi iaceant; viuentia quidem, ſed multo grauius, atque vehementius, quàm ſomno, ſuis ſenſibus obſeratis.* Hucuſque ſanctus Doctor, qui in eodem libro, & capite præſtigioſum etiam narrat exemplum de ſtabularijs quibusdam fœminis, quæ caſeum viatoribus manducandum præbentes, in iumenta ſarcinas oneroſas deferentia eos, malis artibus conuertebant: idque in quadam Italiæ regione fieri ſolitum ſe audiuiſſe teſtatur, dum in ea moraretur. Immò, vt ipſe inquit, quidam nomine Præſtantius illud ipſum aiebat ſuo contigiſſe patri, qui caballum ſe factum, annonam inter alia iumenta militibus aliquando baiulaſſe affirmabat. Hæc ex Auguſtino, qui hac in re ſuam profert ſententiam dicens: *Quæ onera, ſi vera ſunt corpora, portantur à Dæmonibus, vt illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim iumentorum falſa cernentibus.* Ex quibus Auguſtini verbis, partim vera, partimq. falſa; veras ſcilicet fuiſſe ſarcinas à Dæmonibus delatas, falſa verò iumentorum corpora per Dæmoniacam illuſionem nuper explicatam extitiſſe colligimus: Dæmones enim (quibus ad nutum res corporeæ, quantum ad motum localem, obediunt) ædificia integra, quamuis magna, è loco ad locum transferrent, aliaq. maiora, & peiora qui-

Aug. lib. 18. c. 18. de Ciuit. Dei. to. 5.

Aug. lib. 18. De Ciuit. Dei cap. 18. tom. 5.

Dæmonũ mira poteſtas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quidem, nisi à Deo impedirentur, efficerent, vt videre licet in libro Iob cap. 1.

Quòd autem Dæmones nihil mali, nisi Deo permittente, hominibus inferre possint, id ex eo nobis exploratum, manifestumq. fit, quòd Dæmones à corpore humano, vt Euangelistæ Sancti testantur, expulsi, nec in gregem quidem porcorum, nisi Christo annuente, ingredi potuerunt: eorum tamen potestas, non impedita, tanta est, quanta potest esse maxima. Hinc B. Iob de Dæmonis potestate ait: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Hæc B. Iob. Tanta verò Dæmonis potestas in tribus actionum generibus versari solet, sensuum scilicet tàm interiorum, quàm exteriorum ludificatione; naturalibus insuper rerum causis; & corporum è loco ad locum translatione, & maxima quidem celeritate. Duas primas actiones, nuper explicauimus; tertiam hòc loco exemplis explicare libet.

Matth. 8. Mar. 5. Luca 8. *Iob 41.* *Pag. 22. & 23.*

Insigne huiusce actionis exemplum illud est, quod Sanctus Matthæus Euangelista scribit de Christo Domino, qui à Dæmone, non solum hortatore, vt Ioanni Chrysostomo placet, super pinnaculum templi, & in montem excelsum assumptus fuit; sed re ipsa, &, vt ita dicam, corporaliter asportatus, Sancto Gregorio magno innuente, qui ait: *Quid ergo mirum, si se ab illo permisit in montem duci, & tentari, qui pertulit etiam à membris illius crucifigi?* A Dæmone igitur eò delatus fuit, non quasi ex necessitate, sed quia, vt ait Origenes, Christus eum sequebatur, ad tentationem quasi athleta sponte procedens. Hunc in modum Angelus ille bonus Prophetam Habacuch capillo capitis apprehensum ex Iudæa Babylonem vsque asportasse; indeque eum in Iudæam reportasse apud Danielem Prophetam legitur. Hoc boni Angeli, illud autem mali opera; hoc Deo iubente, illud Deo saltem permittente, factum esse constat:

Matth. 4. *Greg. homil. 16. in Matth. tom. 3.* *Card. de Turrecré.* *Alber. magn. in Matth.* *S. Tho. 3. p. q. 41. a. 2.* *Orig. in Lucam.* *Dan. 14.*

ſtat: neutrum tamen miraculum fuit, quippe quod ſupra totius naturæ creatæ ordinem, ſeu facultatem non extitit. Hunc in modum fuit Simonis Magi volatus. Is enim à Dæmonibus in aera euectus, Nerone Imperatore, vniuerſoq; Populo intuente, atque obſtupeſcente, vt Scriptores tàm ſacri, quàm profani teſtantur, volare videbatur: quem tamen ad Beati Petri Apoſtoli preces, à Dæmonibus, Deo iubente, deſtitutum, in terram ſtatim præcipitem corruiſſe, atque extinctum debitas perſoluiſſe pœnas legimus.

Abdias Babyl. lib. 1. Suet. in Ner. c. 12 Hegeſippus lib. 3. c. 2. Cyril. Catechiſ. Epiph hæret. 21. Philaſtr. de hær. c. 3 Aug. ep. 86. de hæret. 1. contra Fulg. Donatiſtam c. 23 & alij.

Dæmones item, ventis vehementibus, ac turbulentis excitatis, ædificia ipſa, quamuis maxima, funditus diruere, Deo permittente, ſtatim poſſunt, ſicut contra Iob factum eſſe conſtat. Terram quoque vi ventorum concutere, & maris aquas ab imo incredibili hominum iactura commouere queunt. Res etiam præſentes, vel eas inuiſibiles reddendo, vel aliò transferendo ab hominum conſpectu repente ſubtrahere poſſunt, ſicut Plato & Cicero à Gyge factum commemorant: id quod non annuli, quem geſtabat, vt fabuloſè aiunt, virtute, ſed Dæmonum artificio factum fuiſſe credendum eſt. Arte item Dæmonum, ſanguinem, & carnes, necnon ſaxa pluiſſe apud T. Liuium legimus. Miro eorumdem artificio Statuæ, vel aliæ res inanimatæ ab ipſis motæ, more hominum ambulare; immò etiam tàm inanimantes, quàm animantes, rationis tamen expertes, loquiviſæ ſunt. Quæ ſanè omnia tam à Liuio varijs in locis, quàm à Valerio Maximo in eo de Miraculis capite narrantur, multaque in eam rem exempla recenſentur. Hunc in modum, ſermonibus articulatis ab Angelo in aere formatis, Aſina Balaam more humano loquuta fuiſſe legitur. Hæc, & id genus alia, ac ferè innumera, & quidem admiranda, quamuis à Dæmonibus fieri queant, miracula tamen, vt ſuo iam loco explicatum eſt, haudquaquam ſunt: ſed ad falſitatem miraculo-

Iob 1. Plato lib. 2. de Rep. Cic lib. 3. offic. Liu. lib. 3. & 7. Dec. 1. & alijs in locis. Liu. l. 3. et 7. Dec. 1. & 3. Dec. l. 4. & 7. 2. bello Punico & alijs in locis. Val. max. lib. 1. c. 8. Num. 22.

rum

rum cognoscendam, illusionesq. Dæmonum cauendas hoc loco enarrare visum fuit, vt in Canonizatione alicuius tractanda, cautior quisque reddatur.

Dæmones quomodo in corporibus assumptis appareant, explicatur, ad eorumdem illusiones cauendas circa miraculum suscitandi mortuos, in Canonizatione alicuius potissimum tenens locum. Cap. XV.

Angeli interea tàm boni, quàm mali, quotiescunque alicui apparere volunt, corpus ex aere, crassis quibusdam vaporibus admixto assumunt, vt corpus ipsum visibile, & coloratum appareat, non secus atque nubes varijs coloribus admixtæ à nobis cernuntur. Corpus itaque ab Angelis tàm bonis, quàm malis ex aere per aliquam vaporum admixtionem, forma extrinseca vel effigie quacumque ex arbitrio formatum, visibile atque coloratum apparet, & cum eis statim euanescit. Vt autem (quod est difficilius) palpabile fiat, tactuiq. resistat corpus aereum, id ad nutum Angelorum (sicut ad ipsorum nutum mouetur & stat) iuxta omnium Theologorum consensum fieri affirmamus. Angeli vero tàm boni, quàm mali in corporibus assumptis, vitæ opera exercere non possunt, quamuis aliqua in eis interdum exercere videantur: quia sunt corpora aerea, non animata; & propterea corde carentia, cui operationes præsertim vitæ adscribuntur. Quãuis item Angeli in corporibus assumptis loquantur, vel potius loqui videantur, locutio tamen illa propriè dici non potest: non est enim vox ab animali, nec veris organis vel instrumentis ad vocem pertinentibus formata: nec sonus ille per imaginationem conceptus dici valet, cum ibi virtus imaginatiua non sit. Nec vox illa proprij intellectus interpretatiua est, cum ex Angelo

Corpus Angelorũ assumptũ, quomodo formetur.

Angeli nũ in corporibus assumptis propriè loqui dicantur.

lo & corpore illo aſſumpto vnum per ſe non fiat. Eſt tamen ibi nonnihil locutioni adſimile, ſicut inſtrumenta illa, ex quibus reddi vox debet, naturalia non ſunt, ſed naturalibus ſimilia eſſe dicuntur. Hæc ex Aegidio Romano, & alijs Theologis de corporibus à Dæmone aſſumptis, vt viuorum & mortuorum apparitiones aggrediamur.

Viuorum, & mortuorum apparitiones ad illuſiones item Dæmonum in Canonizatione alicuius cauendas explicantur. Cap. XVI.

ILlum etiam in modum Angeli, ſiue boni, Deo iubente; ſiue mali Deo ſaltem permittente, ad alicuius mortui, vel viuentis perſonam repræſentandam; illi ſcilicet ad vtilitatem & conſolationem; hi verò ad ludificationem præſtandam apparent iuxta S. Patris Auguſtini ſententiam in libro de ſpiritu & anima dicentis: *Cum homines mortui, ſiue vi-* *Aug. lib.*
ui, hominibus dormientibus, vel vigilantibus apparent, non in *de ſpiritu & anima*
ipſis rebus, vt ſunt, videntur, ſed in quibuſdam ſimilitudinibus *c. 29. to. 3.*
rerum. Iſtud autem angelicis operationibus fieri credimus per diſpenſationem prouidentiæ Dei, bene vtentis bonis vel malis ſecundum inſcrutabilem altitudinem iudiciorum ſuorum: ſiue hinc inſtruantur mentes mortalium, ſiue fallantur, ſiue conſolentur, ſiue terreantur; ſicut vnicuique vel præbenda eſt miſericordia,
vel irroganda iuſtitia ab eo, cui miſericordiam & iudicium non *Pſal. 100.*
inaniter decantat Eccleſia. Hucuſq. Auguſtinus, qui poſtquam mortuorum vel viuorum apparitiones in corporibus miniſterio Angelorum formatis & aſſumptis fieri explicauit, quæ dixit, ratione comprobauit & confirmauit hiſce verbis: *Ibi ſiquidem ſunt ſpiritus defunctorum,* *Aug. vbi*
vbi non vident; neque audiunt quæ aguntur aut eueniunt in iſta *ſupra.*
vita hominibus: Ita tamen eſt eis cura de viuis (quamquam quid

Mortui quomodo sciant quæ hic aguntur.

agant, omnino nesciant) quemadmodum cura est nobis de mortuis, quamuis quid agant, vtique nesciamus. Nesciunt quidem mortui, quid hic agatur: sed dum hic agitur, postea audire possunt ab eis, qui hinc moriendo ad eos pergunt: non quidem omnino, sed quantum sinitur eis indicare, & eos oportet audire. Scire etiam possunt ab Angelis, qui hic nobis præsto sunt, & animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiam Dei reuelante, cognoscere possunt quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos cognoscere. Hæc Augustinus de mortuorum apparitionibus: num autem mortuorum fiant apparitiones per eorumdẽ præsentiam, an personas mortuorum Angeli in corporibus assumptis repræsentent, reuocat in dubium dicens: *Quidam etiam ex mortuis ad viuos rapi possunt, non per propriam naturam, sed per diuinam potentiam. Vtrum tamen ista fiant per eorum præsentiam, aut per Angelos suscipientes eorum personam, affirmare non audeo. Deus enim omnipotens, qui est vbique præsens, per angelica ministeria vsquequaque diffusa potest præbere ista hominibus solatia, quibus in huius vitæ miseria iudicat esse præbenda.* Hæc S. Doctor de apparitionibus mortuorum angelico ministerio præstitis: atque hunc in modum sanctus Ambrosius ad altare Mediolani rem sacram faciens, somnoque correptus, exequijs sancti Martini Turonis interesse potuisset, si verũ esset, quod Gregorius Turonensis hac de re scripsit: eodem namque tempore sanctus Ambrosius inter celebrandum Mediolani, & Turonis in sancti Martini exequijs (vt aiunt) visus fuit: fieri enim potuit, sicut Aegidius noster ait, vt sanctus Ambrosius somno complexus, & consopitus, per visionem imaginatiuam, & virtute quidem diuina exequias illas adeo clarè viderit, vt ijs interfuisse sibi visum fuerit, sicut dormienti, & per somnum aliquid videnti euenire frequenter solet. Personam insuper, aut imaginem Beati Ambrosij ministerio angelico in corpore assumpto repræsentatam illic fuisse censendum est. Hinc factum fuit, vt, qui dictis exequijs adfuerunt,

Greg. Turon. lib. 1. Mirac. S. Mart. c. 5. to. 7. Bib. ss. pp. Surius to. 6. die 11. Nou. ad finem. Lippom. p. 2. cap. eadem die.

Quomodo S. Ambrosius exequijs sancti Martini interesse potuisset.

Aegid. quodlib. 1 q. 1. ad argum. & quodli. 2. q. 17.

fuerunt,

fuerunt, Beatum Ambrosium ijs interfuisse sine dubitatione crediderint, dummodo historia enarrata concedatur: sed hac in re S.R.E. Cardinalis Baronius, Vir & sacris Ecclesiasticarum rerum historijs, & Christiana pietate insignis, Gregoriũ Turonensem redarguit, dum Sanctum Ambrosium ante Beatum Martinum, diem suum obijsse perspicuis argumentis demonstrat. Si autem vera hoc loco fuisset historia à Gregorio enarrata, nonnisi illum in modum à nobis explicatum S. Ambrosius Beati Martini exequijs interfuisset. Hæc de mortuorum, ac viuentium apparitionibus ministerio Angelorum tàm bonorum, quàm malorum præstitis, mihi dicenda videbantur; vt vera à falsis miracula, præsertim verò in ipsa mortuorum suscitatione facilius dignoscantur, necnon ad fallacias, & illusiones Dæmonum cauendas cautior quisque reddatur: opera enim Dæmonum mirabilia re uera sunt, & ab ijs, qui miram eorum scientiam cum longa experientia coniunctam, atque potestatem non impeditam ignorant, miracula tanquam à Sanctis viris facta existimantur: quæ tamen sunt Dæmonum ludificationes ad mentes hominum decipiendas præstitæ: vera namque mortuorum suscitatio, quæ potissimum in Canonizatione tenet locum, à solo Deo, & à Sanctis, diuina tamen virtute, vti diximus, fieri potest. Qua in re suscitatio Samuelis per Pythonissam præstita, seu tentata, nobis hoc loco sese offert examinanda.

Card. Baron. in Annot. ad Martyrol. Die 11. Nouemb. Et in Annal. to. 5. pag. 84. An. Dom. 397. & to. 3. Anno Dom. 351. pag. 580.

Suscitatio Samuelis Prophetæ incantationibus Pythonissæ tentata examinatur ad Dæmonum illusiones cauendas circa suscitandi mortuos miraculum, in Canonizatione alicuius potissimum tenens locum.

Cap. XVII.

1. Reg. 28 QVamuis à Pythonissa, maga illa, Samuel Propheta sanctus, vt in primo Regum libro legitur, à morte ad vitam, Saule postulante, reuocatus videatur; id tamen non nisi à Deo factum esse dicas, necesse est, ijs modis, quos infra explicabimus.

Non desunt qui non Samuelem suscitatum, sed Dæmonem per Pythonissam in corpore aereo; ab Angelis tàm bonis, quàm malis assumi solito; vultu tamen, & habitu Samuelis apparuisse, atque in eo corpore cum Saule loquutum fuisse velint.

Prima S. Augustini opinio.

EX Numero eorum, qui Samuelem suscitatum nolunt, fuit, &, vt opinor, primus, S. Pater Augustinus, qui in libro quæstionum veteris, ac noui Testamenti, vt historiam in primò Regum libro enarratam, suæque opinioni aduersantem, explicet, in hanc loquitur verborum formam: *Historicus mentem Saulis, & habitum Samuelis descripsit, ea, quæ dicta, & visa sunt, exprimens; prætermittens, si vera, an falsa sint.* Hæc Augustinus, qui, vt suam tueatur opinionem, alteram aliquot eneruat rationibus, quibus infra in medium allatis, respondebimus cum eodem Augustino; qui quamuis in libro nuper commemorato contra opinionem sibi aduersam disputandi

Aug. lib. qu. ß. vet. et no. Test. q. 27. to. 4.

dispu-

disputet, falsamq. esse omnibus neruis contendat; in secundo tamen quæstionum libro ad Simplicianum scripto, vtramque opinionem defendit, etiamsi suam denique opinionem faciliorem intellectum, expeditioremq. exitum habere dicat, hisce verbis: *In hoc facto potest esse alius facilior intellectus, & expeditior exitus, vt non verè spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma & imaginariam illusionem, Diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum, earum nominibus appellari, quarum imagines sunt.* Hucusque Augustinus: quod autem postremò dixit, aliquot etiam declarat exemplis, quæ breuitatis causa, silentio prætermittenda videntur.

S. Thomæ sententia.

EGo vero cum Sancto Thoma, Doctore Angelico, Samuelem reuera suscitatum fuisse affirmo, libri Ecclesiastici auctoritate omnino persuasus: Nam in quadragesimo sexto Ecclesiastici capite omnium Patrum post terræ promissionis ingressum, laudes enarrantur, in cuius capitis calce Samuelis item Prophetæ laudes recitantur, in quibus fit mentio de suscitatione Samuelis, necnon de eo, quod Samuel suscitatus, vt in primo Regum libro legitur, Sauli prædixit. Hæc enim in dicto Ecclesiastici leguntur libro: *Dilectus à Domino Deo suo Samuel Propheta Domini renouauit imperium, & vnxit Principes in Gente sua.* Et infra, multas post laudes: *Post hoc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem Gentis.* Hæc ibi, ex quibus inuictum colligitur argumentum, quo Samuelem verè suscitatum fuisse fateamur oportet: falsa enim inter vera non sunt commiscenda: si autem Samuel suscitatus non fuisset, mortemque

S. Th. 1. p. q. 89. ar. 8 ad secundum.

in craſtinum Sauli non prædixiſſet, ſicut in primò Re-
1. Reg. 28 gum libro factum eſſe legitur, falſæ Samuelis laudes inter veras in Eccleſiaſtico fuiſſent connumeratæ.

Nec huic difficultati (ſaluo tamen meliori iudicio) Corn. Ianſen. ſatisfacere videtur Cornelius Ianſenius, dicens, hoc Eccleſiaſtici loco hiſtoriam libri primi Regum de phantaſtico (vt ipſe ait) & imaginario Samuele recitatam fuiſſe ad Saulis fiduciam erga Samuelis, vt ſic dixerim, veracitatem indicandam: Samuelis namque veracitas, tot iam factis comprobata, non erat quòd diabolica illuſione concluderetur: & quæ impio Dæmoni, & ſemper fallaci tribuuntur ab ijs, qui Dæmonem pro Samuele apparuiſſe volunt; Samueli, à natiuitate ſancto, vitæ operibus iuſto, & in omnibus verbis ſuis fideli adſcribantur. Samuelem itaque ſuſcitatum eſſe, non Dæmonem pro Samuele apparuiſſe fatendum eſt.

Quamuis autem ſuſcitationem illam à muliere Py-
1. Reg. 28 thoniſſa tentatam fuiſſe conſtet; arti tamen magicæ Deum non fauiſſe; ſed eam potius impediuiſſe, diuinaque tandem virtute, non arte Dæmonis, Samuelem fuiſſe ſuſcitatum fateamur neceſſe eſt, etiamſi Saul à Pythoniſſa, vt Samuelem (inuocato Dæmone) ſuſcitaret, poſtularit dicens: *Samuelem mihi ſuſcita*; diuina enim voluntate non ad Pythoniſſæ inuocationem, nec ad me-
1 Reg. 15 ritum Saulis, ſed ad Regni ſciſſuram, quam Sauli Regi Samuel, dum viueret, prædixit, confirmandam, factum fuit, vt Samuel ipſe, Propheta Domini verax, & ab ipſo dilectus, excitaretur, arte magica impedita. Hunc
4. Reg. 1. in modum conſultatio Dæmonum ab Ochozia Rege Iſrael, vt in quarto Regum libro legitur, tentata, nuncijs ab eo ad Beelzebub, deum Accaron, miſſis, impedita fuit, Elia Propheta ad ipſum Ochoziam allegato,
Num. 22. 23. qui mortem, id ei ſcire cupienti, prædixit. Huic adſimile euenit Balaam, qui cum eſſet ariolus, & magus, Balac Moabitarum rege poſtulante, Dæmonem pro eo

con-

consulturus, à Deo non semel impeditus fuit. Hinc pro maledictione, quam Israeli Balac inferendam cupiebat, benedictionem, responsis Dæmonum impeditis, tandem emisit.

Sancti Augustini altera sententia, & quidem verior, Angelici Doctoris doctrinæ consona.

ISTuc ipsum suscitationi Samuelis euenisse cẽsendum est. Hinc S. P. Augustinus quamuis in contrariam opinionem declinare videatur, hoc tamen in Quæstionibus ad Simplicianum, absurdum non esse ait hisce verbis: *Non est absurdum credere ex aliqua dispensatione diuinæ voluntatis permissum fuisse, vt non inuitus, nec dominante, aut subiugante magica potentia, sed volens, atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ & Pythonissam illam, & Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti se ostendi aspectibus Regis, diuina eum sententia percussurus.* Hæc S. Augustinus. *Aug. lib. 2. Quæst. ad Simpl. q. 3. to. 4.*

S. Augustini, & S. Thomæ sententiæ verioris confirmatio.

HVic de Samuele mortem Sauli, regniq. de manu eius ablationem prædicenti, non per Pythonissam, sed virtute diuina resuscitato, historiæ mirum in modum suffragatur illud Ecclesiastici dictum: *Et post hoc dormiuit* (Samuel scilicet) *& notum fecit regi* (hoc est Sauli) *& ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem Gentis.* *Eccl. 46.*

Hæc ibi de Samuele, qui *postquam dormiuit*, id est obijt, (mors namque in Scriptura sacra, & iustorum præsertim, dormitio & quies appellatur) *& notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ*, mortem scilicet Saulis, trium- *Eccl. 46.*

que

que filiorum eius ſequenti die futuram prædixit: *& exaltauit vocem de terra in prophetia delere impietatem Gentis*, hoc eſt Samuel, quaſi è terra ſurgens, & caſtra Iſrael ad impietatem Gentis delendam manibus Philiſthijm Deum daturum prænuncians apparuit. Quæ ſanè omnia in
1. Reg. 28 primo Regum libro à Samuele virtute diuina ſuſcitato ipſi Sauli prædicta fuere his verbis: *Scindet* (Deus) *Regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid.* Et infra: *Dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthijm: cras autem tu & filij tui mecum eritis: ſed & Caſtra Iſrael tradet Dominus in manus Philiſthijm.* Hucuſque Samuel Propheta Domini. Illa vero Eccleſiaſtici verba nuper in laudem Samuelis prophetiæ recitata, Dæmoni conuenire non poſſunt: quia mors Saulis, & filiorum eius necnon Iſraelitici Populi captiuitas, & exercitus debellatio diem in craſtinum futura non per ſigna naturalia, nec per coniecturam, ſed per diuinam tantum reuelationem præſciri poterant. Adde etiam quòd dormitio, nec pro morte, nec pro quiete Dæmoni conuenire poteſt; quia Dæmon nec vnquam moritur, nec vnquam quieſcit. Samuel itaque, non Dæmon, diuina voluntate, Pythoniſſæ arte impedita, ex abditis mor-
1. Reg. 15 tuorum receptaculis euocatus fuit, vt qui regnandi principium, regnique ablationem Sauli viuus prædixerat, eadem mortuus confirmaret, morte tandem eidem Sauli præmonſtrata: & hanc ob cauſam Deus non per
1. Reg. 28 viuos Prophetas, ſed per Samuelem iam mortuum ei reſponderi voluit, ac decreuit.

Dubiorum ſolutio.

QVamuis interea Samuel (vt ea, quæ nobis refragari videntur, explicemus) ſe à Saule adorari permiſerit; adoratio tamen non fuit illa, quæ ad Deum

ſolum

ſolum pertinet, & Latria nuncupatur; ſed adoratio Duliæ, hoc eſt, veneratio quædam, qua homines inuicem venerari ſolent. Huius generis veneratione Dauid, pronus in terram, Saulem adorauit; Mulier item Abigail prona in terram, Dauid ipſum venerata eſt, vt in primo Regum libro legitur. *1. Reg. 24* *1. Reg. 25*

Samuel denique Saulem craſtina die moriturum, ac ſecum fore prænunciauit, dicens: *Cras tu, & filij tui mecum eritis*; hoc eſt, mecum eritis, *non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem mortis*, vt ait S. P. Auguſtinus, *conditionem*; quaſi dixerit: Eritis mortui, ſicut me mortuum ſcitis: malus enim Saul, inter bonos & ſanctos, cuiuſmodi Samuel erat, locum habere non poterat: magno namque interuallo poſt hanc vitam, vt in Euangelio legimus, boni à malis diſiunguntur. *1. Reg. 28* *Aug. lib. Quæſt. 2. ad Simpl. q. 3. to. 4.* *Luc. 16.*

Hæc mihi pro nodorum diſſolutione dicenda videbantur, ne quis Dæmonem pro Samuele in corpore aſſumpto loquutum fuiſſe opinetur: non enim apparitio illa fuit phantaſtica, & imaginaria, ſed anima Samuelis in corpore aſſumpto diuina ſanè virtute, arte magica impedita, apparuit: ſuſcitatio namque mortui, vti non ſemel diximus, à ſolo Deo fieri poteſt: à Dæmone autem non niſi per illuſionem, eo modo, quem explicauimus: etiamſi Dæmones per Magos Pharaonis veros ſerpentes, veraſq. ranas, vt ait S. Thomas, ex virgis in terram proiectis, fecerint. *S. Th. p. p. q. 114. ar. 4.*

Dæmonum opera qualia eſſe poſsint. Cap. XVIII.

DAemonum opera propriè miracula non ſunt, quia ipſa extra totius naturæ creatæ ordinem non ſunt, cuiuſmodi eſt vera mortui reſurrectio; ſed mirabilia videntur, & quodam modo miracula, quatenus facultatem & cognitionem humanam excedunt, homineſq. in admirationem trahunt,

Dæmonũ opera tribus modis esse possunt.

tribusq. modis à Dæmone fieri possunt, vel per illusionem iam à nobis explicatam; vel per veros serpentes, & ranas veras è loco ad locum, semotis virgis, mira celeritate asportatos; vel per veram virgarum in serpentes & ranas conuersionem aut transmutationem. Quæ enim ex putredine præsertim fieri possunt, à Dæmonibus, qui exactissimam omnium rerum scientiam callent, ad suscipiendam formam disponi possunt; quæ autem per multas suaptè natura transmutationes generantur, optimè ab ipsis disposita, paruo temporis interuallo, in suas prorumpunt species: Dæmones namque impedimenta remouent, naturam per artem adiuuantes; actiua deinde passiuis applicant, & per occulta semina, rebus corporeis insita, rerum naturalium effectus accelerant, ita verò, vt homines rerum abditarum inscij, in admirationem ducantur, taliumq. effectuum artifices, falsò nuncupentur miraculorum factores, ac rerum creatores: solus enim illorum seminum occultorum creator est Deus, qui illis in rebus rationes quasdam seminales inseruit; ordineque

Aug li. 3. de Trin. c. 8 to. 3. & Magister senté. lib. 2. d. 7. c. Nec sanè.

naturæ interius inibi operatur. Hinc S. P. Augustinus in lib. 3. de Trinitate ait: *Nec ideo putandum est, istis transgressoribus angelis ad nutum seruire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, à quo hæc potestas datur, quantum in sublimi & spiritali sede incommutabilis iudicat. Nam & damnatis iniquis etiam in metallo seruiunt, aqua & ignis & terra, vt faciant inde quod volunt, sed quantum sinitur: nec sanè creatores illi mali Angeli dicendi sunt, quia per illos Magi resistentes famulo Dei, ranas & serpentes fecerunt. Non enim ipsi eas creauerunt: omnium quippè rerum, quæ corporaliter, visibiliterq. nascuntur, occulta quædam*

August. et Mag sententie ibid cap. Sicut ergo.

semina in istis corporeis mundi huius elementis latent. Hæc Augustinus: infra verò, vt eadem magis explicentur, affert in medium exemplum de Parentibus & Agricolis, qui quamuis in generatione hominum & frugum operentur, creatores tamen nullo modo dici possunt. Inquit igitur hisce verbis: *Sicut ergo nec Parentes dicimus creatores hominum.*

minum, nec Agricolas creatores frugum, quamuis eorum extrinsecus adhibitis motibus, ad ista creanda Dei virtus interius operetur; ita non solum malos, sed nec bonos Angelos fas est putare creatores; si pro subtilitate sui sensus & corporis, semina rerum istarum nobis occultiora nouerunt: & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occasiones. Sed nec boni hæc, nisi quantum Deus iubet: nec mali hæc iniustè faciunt, nisi quantum iustè ipse permittit. Nam iniqui malitia voluntatem habet iniustam, potestatem autem non nisi iustè accipit, siuè ad pœnam suam, siuè ad aliorum; vel pœnam malorum, vel laudem bonorum. Hucusque S. P. Augustinus de mirabilibus tàm bonorum, quàm malorum Angelorum operibus, in quibus ipsi exterius operantur; Deus autem interius, qui rationes seminales in illis ad effectus naturales producendos inseruit. Idem ferè in libro Quæstionum super Exodum inquit: *Insunt corporeis rebus per omnia elementa mundi quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus. Et sic non dicuntur Angeli, qui ista faciunt, animalium creatores, sicut nec Agricolæ segetum vel arborum, vel quorumcunque in terra gignentium creatores dicendi sunt; quamuis nouerint præbere quasdam visibiles opportunitates & causas, vt illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc Angeli inuisibiliter, Deus verò solus verus creator est, qui causas ipsas & rationes seminarias rebus ipsis inseruit.* Hæc S. P. Augustinus, ex cuius verbis facilè quis colligere potest, serpentes & ranas à Magis Pharaonis ex virgis conuersos, & artificiales & naturales fuisse: artificiales, quatenus Dæmones per artem magicam occulta illa rerum semina ita passiuis adaptabant, vt fierent serpentes & ranæ, quos mente conceperant: naturales verò, quatenus occulta semina, quæ ad productionem serpentum & ranarum adhibebant, illos effectus naturaliter gignebant.

Aug li. 2. Quæst. super Exod. q. 21 to. 4. Et 2. par. Decr. 26. q 5. c. 14. Nec mirum.

Si quis autem adduci non potest, vt credat, aliquam

virtutem reperiri posse, quæ virgam in serpentes & ranas, vel saltem sine magno temporis interuallo conuertere queat, fateatur tamen cum sancto Thoma, omnem naturæ creatæ virtutem nobis notam non esse, sicut hac in re nobis euenire censendum est. Cum itaque huius generis opera à Magis Pharaonis confecta præter ordinem totius naturæ creatæ non sint, illa propriè miracula non sunt dicenda, sed quodam modo talia, quatenus facta sunt præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ, per virtutem scilicet creatam nobis ignotam. Quæ igitur virtute naturæ fieri non possunt, à Dæmone re vera confici non queunt; sicuti fieri numquam potest, vt corpus humanum in bestiale verè transmutetur, & corpus hominis mortuum reuiuiscat. Quamuis enim naturaliter ex carnibus bouinis apes, ex carnibus equinis vespæ, & ex vino corrupto musciliones, vt recitat Auerroes, nascantur, quia ex putredine fiunt; perfectiora tamen in genere præsertim animalium determinãt sibi principium productiuum, materiale, & locum generationis, idest animalis matricem; illa verò, quæ ex putrefactione gigni possunt, non item, sed materiam in primis putrefactam, vt Aegidius Doctor noster docet.

S.Th. p.p. q.113 ar. 4. *Aegid Quol. 3. q 8.* *Auer lib. 12. Metaph. comm. 18.* *Aegid. vbi sup.*

Hæc de admirandis tàm bonorum, quàm malorum Angelorum operibus per virtutem creatam nobis ignotam factis, quæ omnia miracula re vera non sunt, quia ordinem totius naturæ creatæ non excedunt, sicuti eum ordinem vera mortuorum resurrectio absque dubio superat, dum anima suo iterum corpori coniungitur, ipsumq. viuum reddit, cuiusmodi fuit resurrectio Lazari, & aliæ in veteri ac nouo Testamento celebratæ.

Ioan. 11. 3 Reg. 17 4 Reg. 4. & 13 Matth. 9. 27. Marc. 5. Luc 7 & 8. Act. 5. & 20.

Samuel quomodo suscitatus.

Tostatus. lib. 1. Reg. cap. 28.

SAmuel, vt ait Tostatus, in corpore suo suscitatus non fuit, sed anima eius in corpore aereo, assumpto, Angeli

geli ministerio, ex receptaculis mortuorum à Deo reuocata, ad solam Saulis prophetiam indicandam, non in 1. Reg.25
Ramata, vbi Samuelis erat sepulchrum, sed in Endor: 1. Reg.28
vultu tamen & habitu Samuelis repræsentato, arteque magica impedita, apparuit: cuius reuocationis & apparitionis explicandæ causa, in sermonem de magna Dæmonum potestate, atque arte, deq. eorumdem præstigijs non inconsulto, suadente scilicet occasione, immò mirum in modum postulāte incidimus, & libenter quidem, vt miracula, quæ in Canonizatione diligenter examinanda sunt, intimius cognoscamus, vera à non veris discernentes: Conditiones itaque, quibus miracula vera à falsis discernuntur, hoc loco iterum recitandas, & explicandas censemus: quibus explicatis, miraculorum species in medium afferemus, & explanabimus, deinde quonam modo miracula Sanctorum à miraculis malorum hominum distinguantur, Theologorum sententiam aperiemus: miracula enim faciendi facultates, vti diximus, sunt gratiæ gratis datæ, quæ cum peccato mortali stare possunt interdum.

Gratiæ gratis datæ cũ peccato stare possunt. sup. p.18.

De tribus Miraculorum generibus iuxta proprias eorumdem conditiones. Cap. XIX.

MIraculum propriè sumptum illud est, vt non semel diximus, quod est præter totius naturæ ordinem. Hoc non nisi à solo Deo virtute propria fieri potest: à Sanctis verò & à malis hominibus, non virtute propria, sed diuina, diuersis tamen rationibus, vti Pag.16.
huiusce materiæ initio explicauimus. Quamuis autem miraculum ab admiratione sortitum sibi fuerit nomen; propriè tamen miraculum dici non debet, si aliquibus tantum ipsius effectus causa sit occulta: Eclipsis enim Solis, aut Lunæ causa, rudibus est occulta: Astrologis verò notissi-

Arist. 1. Metaph. c.2. circa med.

S.Th.p.p. q.106.ar. 7. in corp. notiſsima eſt. Illud igitur, quod naturæ vires excedit, vel præter totius naturæ ordinem eſt, propriè miraculum tàm ſupra naturam, & præter naturam, quàm contra naturam dici poteſt ac debet, cuiùs cauſa ab omnibus omnino ignoratur.

Tria miraculorum nomina explicantur. *Cap. XX.*

S.Tho. 2. ſent. diſt. 18. q. 1. art. 3. Aegid. li. 2. ſent. d. 18. dub. 13. litt. TRibus modis, vt S. Thomas, & Aegidius Columna docent, miraculum eſſe poteſt, hoc eſt, vel ſupra naturam, vel præter naturam, vel contra naturam: atque tribus hiſce modis conuerſionem B.Pauli miraculoſam fuiſſe docet Aegidius Romanus in ſecundo ſententiarum Libro.

Miraculum ſupra naturam.

MIraculum ſupra naturam tunc dici debet, quando natura in ſubſtantiam facti agere non poteſt, veluti eſt diuiſio maris rubri, mortuorumq. ſuſcitatio, idq. genus alia.

Miraculum præter naturam tribus modis.

MIraculum præter naturam illud eſt, in quo quamuis natura quantum ad ſubſtantiam facti operari queat, illud tamen fit præter naturæ operationem iuſſu diuino, ac tribus quidem modis.

Exod. 7. I. Primo modo miraculum præter naturam dicitur, propter exceſſum & ſingularem facti modum, cuiuſmodi fuerunt ranæ in Aegypto productæ in tanta multitudine, quantam nemo antea vidit vnquam.

II. *3.Reg.13* Secundo modo præter naturam, miraculum nuncupatur, quatenus miraculum ad diuini nominis inuoca-

tionem

tionem præfinita hora contingit. Id quod Ieroboam declaratur exemplo, cum ſcilicet manus eius contra Prophetam extenſa, fuerit areſacta, & ara eius diuiſa.

Tertio modo præter naturam miraculum vocitatur, dum aliquid generatim & vniuersè contingit, vt eſt illud, quod in veteri Teſtamento de aqua zelotypiæ legitur, poſt cuius potionem venter adulteræ diuino miraculo putreſcebat, aquæ maledictionis virtute. III. *Num. 5.*

Miraculum contra naturam.

MIraculum contra naturam appellatur, quando rei aliquid ineſt, quod eſt contrarium ei, quod fit, vt exempli gratia, ſi graue, quod ſuapte natura deorſum tendit, ſurſum moueatur, & virgo pariat, idque genus alia, ita ſcilicet, quòd natura manente contraria, quæ ſcilicet contrarij actus principium eſt, miraculo expreſſo ſequatur actus. Hæc ex Doctore Angelico & Aegidio Columna de tribus miraculorum generibus: quæ à ſolo Deo, propria fiunt virtute; à Sanctis verò & à malis hominibus virtute aliena, diuina ſcilicet virtute, diuerſis tamen rationibus, vti diximus, fieri poſſunt: A ſanctis ad eorumdem ſanctitatem indicandam, & veritatem comprobandam; à malis autem hominibus, vt ait S. Thomas, ad ſolam prædicatam veritatem confirmandam; mala etiam agentes & veritatem prædicantes, miracula interdum facere poſſunt, ad hominum vtilitatem, ad Christi nominis, quod inuocant, vt diximus, commendationem, & ad ſacramentorum, quæ exhibent, venerationem. Hinc S. P. Auguſtinus in octoginta trium quæſtionum Libro ait: *Aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani. Magi per priuatos contractus cum Dæmonibus: boni Christiani per publicam iuſtitiam; mali Christiani per ſigna publicæ iuſtitiæ.* Hæc Auguſtinus. Quamuis autem mali Christiani, malam ſcilicet vitam

S. Tho. 2. ſent. d. 18 q. 2. ar. 3.

Pag. 17.

S. Tho. p. p. q. 110. art. 4. ad 2. & 2. 2. q. 178. ar. 2. in corp. & ad 3. Idem ſup. Pag 6. Aug. 83. quæſt. Lib. q. 79. poſt med. tom. 4.

degen-

degentes, miracula dictis de causis facere interdum possint, falsam tamen doctrinam prædicantes, non item; nec Deus, qui in miraculis veris operatur, falsitatis testis existat, vt inquit Sanctus Thomas. Nunc reliquum est, vt quonam modo miracula bonorum à miraculis magorum hominum discerni queant, explicemus.

S. Thom. 2. ad Thessal. 2.

Quonam modo miracula bonorum hominum à miraculis Magorum discernantur. Cap. X X I.

SAnctus Pater Augustinus inter miracula Magorum & Sanctorum hominum discrimen in octoginta trium quæstionum Libro in medium affert hisce verbis: *Cum talia faciunt Magi, qualia nonnumquam Sancti faciunt, talia quidem visibiliter esse apparent, sed & diuerso fine, & diuerso iure fiunt: illi enim faciunt, quærentes gloriam suam, isti quærentes gloriam Dei, & illi faciunt per quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi priuata commercia, vel beneficia: isti autem publica administratione, iussu eius, cui cuncta creatura subiecta est.* Hæc Augustinus. Sed sanctus Thomas, dum in secundo sententiarum libro miracula bonorum hominum & magorum, efficacia, duratione, vtilitate, modo, ac fine, differre scribit, ea exactius contẽplatur.

Aug. lib. 83. q. vbi sup. 10. 1.

S. Th. lib. 2. sent. d. 7. q. 3 artic. 1.

Quantum ad efficaciam & durationem differunt, quia miracula à bonis hominibus facta, non nisi virtute diuina fiunt, cuiusmodi est suscitatio mortui, & id genus alia, virtutem naturæ actiuam excedentia, quæ Dæmones re vera facere non possunt, nisi præstigijs quibusdam, hoc est, incantationibus & illusionibus, quæ diu durare non queunt.

Differunt etiam quantum ad vtilitatem, propterea quòd bonorum miracula, non nisi vtilitatem afferunt, cuiusmodi sunt admirabiles ægritudinum curationes: magorum autem signa sunt noxia & vana, dum volatum affectant

B. Petrus in itinerario Clementis.

fectant & ostētant, stupidaq. hominum mēbra efficiunt.
Differunt item quantum ad operandi modum: boni enim Dei nomen piè ac reuerēnter inuocantes miracula faciunt; magi verò quibusdam vtuntur deliramētis, dum se cultris incidunt, & alia id genus turpia operantur.
Differunt tandem quantum ad finem: quia bonorum miracula ad catholicæ fidei ædificationem, atque ad rectos mores propagandos efficiuntur; magorum verò signa non nisi manifestum fidei & honestatis detrimentũm afferre solent. Hæc sunt, quæ ex Angelico Doctore decerpere mihi visum est, vt miracula bonorum hominum à signis magorum facilius discernantur. Quoniam verò miracula modo virtutes & signa, modo prodigia & portenta vocitantur; ideò, quid horum vnumquodque sibi velit, declarabimus. Hac re denique perspecta, miraculorum gradus, & proprias eorumdem differentias explicabimus, vt ea intimius cognoscamus.

De signis, & virtutibus, deque prodigijs ac portentis aut ostentis ex Doctrina Sancti Thomæ & aliorum. Cap. XXII.

MIracula omnia, quatenus totius naturæ vires excedunt, si consideretur illud, quod fit, virtutes nuncupantur. *S. Tho. 2. 2. q. 178. ar. 1. ad 8* Si autem consideretur illud, propter quod miracula, ad aliquid videlicet supernaturale indicādum fiunt, tunc miracula vocitantur signa, quatenus per illa aliquid supernaturale significatur. Miracula denique per excellentiam, quatenus aliquid præostendunt, portenta siuè ostenta vocantur: quatenus autem futura prædicunt, prodigia nuncupantur: portendunt enim & quasi prædicunt aliquid futurum. Portentum itaque quasi porrò ostensum, vel præmonstratum, & prodigium quasi prodicium, vel prædicium. *Marg. Philosoph. & alij.*

Festus Pompeius. cium. Hinc ait Festus Pompeius: *Prodigia quòd prædicunt futura, permutatione, G, litteræ; nam quæ nunc, C, appellatur, ab antiquis, G, vocabatur.* Quamuis autem à Nonio Marcello prodigia minæ deorum & iræ nuncupentur, ab alijs tamen etiam in bonam partem sumpta sunt. Hæc de signis & virtutibus, necnon portentis & prodigijs; vt miraculorum gradus, ac differentias aggrediamur.

Nonius Marcellus.

De miraculorum gradibus ac differentijs, deque eorumdem exemplis. Cap. XXIII.

S.Th. p.p. q.105.ar. 8. Isa. 44.

SI infinita Dei potentia consideretur, nihil miraculum dici potest: factum enim quodcumque (ait S. Thomas) diuinæ potentiæ comparatum, minimum dici debet iuxta sententiam Isaiæ dicentis: *Ecce Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Si autem nonnulla, quatenus totius naturæ vires excellunt, considerentur, tunc illa verè miracula dici possunt, ac debent. Aliqua tamen maiora, aliqua verò minora miracula, in eo scilicet quòd illa magis, & hæc minus naturæ facultatem excellunt, appellantur. Tribus autem modis, vt ait Doctor Angelicus, naturæ facultas à re aliqua superari potest, vel quantum ad facti substantiam, id est, quantum ad id, quod fit, vel quantum ad id, in quo, vel ex quo fit: vel quantum ad faciendi modum.

S. Thom. vbi sup.

Primo modo vires naturæ superantur, si sol retrogradiatur, vel in medio cæli persistat, vt in libro Iosue factum esse constat: vel corpus humanum glorificetur: sicut corpora Beatorum in resurrectione vniuersali fore credimus: quæ sanè omnia vires naturæ superant, summumq. inter miracula obtinent locum.

Pererius lib. 1. de Magia c. 8. ex B. Thoma vbi sup. Iosuè 10.

Secundo modo vires naturæ superantur quantum ad mortui suscitationem, & cœcorum illuminationem, & quan-

& quantum ad id genus alia: poteſt enim natura dare vitam, ſed non mortuo; viſum etiam præſtare poteſt, ſed non cæco: poteſt item natura producere aurum & arborem, vt ait Pererius, ſed non ex nihilo: hæc autem inter miracula medium tenent locum.

Benedictus Pererius li. 1. de Magia cap. 8.

Tertio modo naturæ facultas, quantum ad modum ac tempus faciendi, ſuperatur, ſiquis diuina virtute, nulla curatione præuia, nulloq. conſueto naturæ ordine aut curſu, à febre actutum liberetur: poteſt enim Medicus ſanare ægrotum, ſed non ſtatim, nec abſque medicamento. Poteſt item Magus vel Dæmon, vel natura ex ligno producere ſerpentem, ſed non immediatè. Superatur etiam naturæ facultas, ſi diuina virtute abſque naturalibus cauſis aer ſtatim in pluuias denſetur, ſicut ad Samuelis & Eliæ preces factum eſſe conſtat. Quamuis autem hæc inter miracula infimum obtineant locum; diuerſos tamen retinent gradus, quatenus alia magis, alia verò minus, naturæ facultatem excedunt. Hæc ex Doctore Angelico, & alijs Theologis.

3. Reg. 18

S. Thom. vbi ſup.

Miracula, quomodo maiora, & minora dicantur.
Cap. XXIV.

MIraculorum itaque vnum, diuinæ potentiæ comparatum, maius alio dici non poteſt, quia illa omnia, quatenus totius naturæ facultatem longè ſuperant, à virtute infinita fiunt. Vnum tamen, quantum ad rem factam, maius alio eſt: ſuſcitatio enim mortui maior eſt, quàm curatio leproſi; & leproſi maior, quàm ſubita ægrotantis, aut febre laborantis curatio. Iſtuc ipſum, ſi operandi modus conſideretur, affirmare neceſſe eſt. Maius eſt enim leproſum, vel quempiam ægrotantem ſolo verbo, quàm tactu; & per vmbram maius eſſe, quàm per verbum curare, dicas opor-

Vmbra quid sit. tet: verbum namque aliquid est virtutem habens ab humano ore prolatum; sed vmbra ipsius hominis nihil est, sed sola, ex corpore interiecto, lucis priuatio propriè nuncupatur. Id quod in actibus Apostolicis factum legitur: (Act. Apostol. cap. 5.) quamuis enim ab Apostolis multa fierent signa, & prodigia, sicut B. Lucas Euangelista testatum reliquit, Petrus tamen tamquam Apostolorum Princeps sola sua ipsius vmbra homines ab ægritudinibus liberabat, vt impleretur illud Saluatoris dictum: (Ioan. 13.) *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet; & maiora horum faciet:* Christus namque vmbra sua homines curasse non legitur. Hæc de miraculorum gradibus, ac differentijs.

De miraculis circa ægritudinum curationes diligenter examinandis. Cap. XXV.

MIracula omnia, & ea præsertim, quæ circa ægritudinum curationes versantur, in medium semper afferri solent, dum alicuius canonizationi nauatur opera. Cum autem miraculorum cognitio, seu tractatio inter primarias, maximeq. arduas canonizandi partes connumeretur, ea itaque veluti trutina quadam, iuxta proprias miraculorum conditiones suo iam loco explicatas, examinanda esse censemus, (Pag. 26.) ijs item additis conditionibus, quas infra enarrabimus, & obseruandas proponemus.

Miracula in primis omnia, vt frequenter diximus, supra totius naturæ creatæ vires esse debent, ita scilicet, vt effectus ipsi viribus naturæ, vel in illo saltem instanti produci non queant: si quis enim, vt ad miracula circa ægritudinum curationes examinanda deueniamus, morbo aliquo, nulla videlicet præuia dispositione, seu nulla temporis intercapedine statim liberetur, cum miraculosè libera-

beratum dicas oportet; vt in multis Scripturæ sacræ locis videre licet.

De Miraculis naturam superantibus, quantum ad operandi modum in Testamento nouo narratis. Cap. XXVI.

HVius generis exempla tàm in veteris, quàm nouæ legis Testamento videre licet: nunc autem sat erit commemorare quæ apud Sanctos Euangelistas, & in Actis Apostolicis conscripta leguntur, atque illud præsertim miraculum de Socru Simonis febri laborante ab Euangelistis recitatum, sed à Beato Luca magis insigniter expressum in hanc verborum formam: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea: Et stans super illam, imperauit febri: & dimisit illam: Et continuo ministrabat illis.* Luca 4. Matth. 8. Marc. 1.

Hunc in modum, nulla scilicet temporis intercapedine, aut dispositione medicamentorum præuia, moribundum Reguli filium, temporis momento sanatum constat. Postquam enim Regulus Saluatori nostro dixit: *Domine descende priusquam moriatur filius meus:* ad hæc Saluatoris verba: *Vade filius tuus viuit:* & ad magnam Reguli fidem, sine corporea Saluatoris nostri præsentia, filius Reguli à ianuis ferè mortis reuocatus, (quia moribundus, vel quia, vt Euangelistæ vtar verbis, incipiebat mori) perfectæ statim sanitati fuit miraculosè restitutus.

Istuc ipsum de leproso manu Saluatoris mundato affirmandum omnino est. Nam vbi primum leprosus Saluatorem nostrum adorauit, & obsecrauit, dicens: *Domine, si vis, potes me mundare;* ad hæc duo Saluatoris verba, *Volo, mundare;* temporis momento sanatus est, Matthæo teste, qui ait: *Et confestim mundata est lepra eius;* nulla scilicet inter præceptum & opus morula intercedente. Matth. 8.

Huic adsimile illud est Centurionis exemplum, qui

seruum

seruum suum paralyticum solo Saluatoris nostri verbo sanari posse firma fide credens, ipsum solo verbo sanatum audire meruit hisce verbis: *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi*. Id quod Euangelista testatur dicens: *Et sanatus est puer ex illa hora*; vno scilicet horæ momento.

Matth. 8.

Hunc denique in modum Publij Patrem febribus, ac dysenteria, intestinorum videlicet exulceratione vexatum, ad Beati Pauli orationem, manuumque impositionem statim sanatum in Actis Apostolicis legimus hisce verbis: *Contigit autem, Patrem Publij febribus & dysenteria vexatum iacere: Ad quem Paulus intrauit; & cum orasset, & imposuisset ei manus, saluauit eum*.

Act. Apost. c. 28.

Hæc de varijs ægritudinum curationibus miraculosè præstitis, quæ quamuis medicamentis, & longo temporis interuallo vix vnquam curari valuissent; absque tamen præuia medicamentorum dispositione, necnon temporis momento, siue ictu oculi, haudquaquam fieri potuissent. Illa enim naturæ facultatem superant, non quantum ad substantiam facti, vel quantum ad id, quod fit, nec quantum ad id, in quo fit, sed quantum ad naturalem operandi modum & ordinem, vti suo iam loco explicauimus; ob idque miracula sunt, & hunc in modum nonnisi diuina virtute fiunt.

Pag. 4. & 49.

Si autem quis morbo aliquo ad inuocationem Dei, & Sanctorum à Medicis non destitutus, paulatim liberaretur; tunc illud re vera miraculum dici non videtur: curationem tamen, siue sanitatem illam diuina opitulante gratia, Sanctisq. intercedentibus, paulatim recuperatam fuisse omnino credendum est: Morborum namque curatio miraculosa iudicatur, si repentina sit, vel à Medicis iam desperata, temporisq. momento perfectè præstetur. Si quis interea tertiana, vel quartana, siue quotidiana febre laboraret, & post Sancti alicuius inuocationem typus, aut terminus ille febris, statis vicibus euenire consuetus, amplius non rediret, vel si febris continua esset,

Sancto

Sancto iam inuocato, statim euanesceret, vt nuper ex noui Testamenti exemplis vidimus, miraculum omnino illud est. Eò autem præstantior & euidentior, magisque miraculosa censetur curatio, si morbus medicam omnino subterfugiens artem, principijs naturæ curari nullo modo queat, cuiusmodi est homo à natiuitate claudus, vel cæcus, idque genus alia. Nunc reliquum est, vt sermonem habeamus de miraculis, quæ superant naturam quantum ad operandi modum, & quantum ad id, in quo est.

De miraculis naturam superantibus quantum ad operandi modum & quantum ad id, in quo fit. Cap. XXVII.

HOmo, vt Beati Lucæ in Actis Apostolicis vtar verbis, ex vtero matris suæ claudus à Beato Petro sanatus fuit hisce verbis: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula:* Act. 13. His deinde Sanctus Lucas hæc statim subnectit verba dicens: *Et apprehensa manu eius dextra, alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ. Et exiliens, stetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.*

Ille item alter, vt ait Sanctus Lucas, ex vtero matris suæ claudus, ad hæc Beati Pauli sanatus est verba: *Surge super* Act. 14. *pedes tuos rectus. Et exiliuit* (eodem Euangelista teste) *& ambulabat.*

Homo etiam à natiuitate cæcus, vel potius medicamento naturæ aduersante, hoc est luto super oculos im- Ioan. 9. posito, non virtutem habente medicam, sed solum mysterium repræsentante, supra naturæ facultatem à Christo Domino sanatus est, visu recepto, vbi primum in natatoria Siloe, hoc est, in piscina aut fonte ad Sion montis radicem sito, oculos suos ex præcepto Christi Domini lauit.

Hæc

Hæc miracula de claudo, necnon de cæco à natiuitate, postremo loco recitata, quantum ad id, in quo fiunt, non nisi diuina virtute fieri possunt: quia, quamuis, vti
Pag. 48. & 49. diximus, natura visum præstare posit, non tamen à natiuitate cæco; quamuis item membrorum rectitudinem dare queat, non tamen à natiuitate claudo. Illa item miracula paulò superius enarrata, quantum ad modum operandi, hoc est sine medicamentis, ac sine perceptibili ferè temporis intercapedine præstita, vera sunt miracula: quamuis enim ægritudines illæ medicamentis & longo temporum interuallo curari potuissent; illo tamen temporis momento, quo diuinitus curatæ fuerunt, arte sanè humana, etiam principijs naturæ medijs, curari nequiuissent: Num verò huius generis ægritudines non à natiuitate, sed ex accidenti contractæ, seu subortæ, sine medicamentis, illoq. temporis momento, Angelorum, seu Dæmonum virtute curari queant, hoc loco disputare necesse est.

An Angeli siuè boni, siuè mali, sua ipsorum virtute ægritudines non à natiuitate, sed ex accidenti contractas, temporis momento, & sine medicamentis curare queant. Cap. XXVIII.

Pag. 25. & aliis. Angeli siuè boni, siuè mali, quibus quantum ad motum, vti diximus, res omnes corporeæ ad nutum obediunt, tanta omnium rerum pollent scientia, quantam docti omnes, præsertim verò medendi arte bene instructi, haud profectò norunt. Quidquid itaque (hoc iacto fundamento) longa temporum intercapedine, medicinæ arte fieri potest; illud ipsum, sed multò vberius, multoq. exactius quàm omnes, qui medicinam optimè callent, Angelos omnium Medicorum scientissimos temporis momento principijs naturæ medijs facere

posse

posse fatendum est. Angeli enim, siue boni, siue mali, exactissimam omnium rerum scientiam bene penitus callentes, penitissimasq. morborum causas optime cognoscentes, materiam sibi subiectam mira facilitate ac celeritate ad sanitatem suscipiendam disponunt, impedimentis, quæ Medici vel ignorant, vel amouere non queunt, amotis: quidquid enim natura medicamentis prævijs, ac magno temporum interuallo effecisset, vel ignorata morbi causa, Medicus nunquam efficere potuisset: Angeli, principijs naturæ medijs, naturam ipsam adiuuantes, actutum efficiunt: atque hunc in modum sua ipsorum virtute sanitatem conferre dicuntur. Huius generis morborum curationes miracula re vera non sunt, quia ægritudines illæ principijs naturæ medijs curari possunt. Quæ autem ijsdem principijs curari non queunt, si sanentur, tunc effectus ipsi miracula re ipsa dicuntur, & sunt.

Huc spectare videtur, quod Cornelius Tacitus scriptum reliquit de Vespasiano Imperatore, qui monitu Serapidis, quem alibi Tacitus vocat Aesculapium, Apollinis filium, ob medicinam ab ipsomet ampliatam in Deorum numerum à Gente superstitionibus addicta, receptum; cuidam oris excremento visum, alteri vero pedis contactu vsum manus, temporis momento, si Tacito credimus, restituit. Ait enim Tacitus hisce verbis: *Cornel. Tac. lib. 4. histo. infra vero de Aescul.*

Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua eius (Vespasiani scilicet) *aduoluitur; remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis* (alias Serapis) *Dei, quem dedita superstitionibus Gens ante alios colit: precabaturq. Principem, vt genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo auctore, vt pede ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primo irridere, aspernari: atque illis instantibus, modo famam vanitatis metuere; modo obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci: postremò æstimari à Medicis iubet, an talis cæcitas, ac debilitas ope humana* *Cornel. Tac lib. 4 histo.*

superabiles forent. Medici variè disserere. Huic non exesam vim luminis, & rediturum, si pellerentur obstantia: illi elapsos in prauum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi Deis, & diuino ministerio Principem electum. Denique patrati remedij gloriam penes Cæsarem; irriti, ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam vltra incredibile, læto ipse vultu, erecta, quæ astabat, multitudine, iussa exequitur. Statim conuersa ad vsum manus, ac cæco reluxit dies.

Hæc Tacitus, cui Suetonius Tranquillus in Vespasiano breuiter subscribit, & sanatæ loco manus, de oculis & crure sanatis loquitur hunc in modum:

Suetonius in Vespas. nõ procul à fine.

E Plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt; orantes opem valetudinis demonstratam à Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cum vix fides esset, rem vllo modo successuram, ideoq. ne experiri quidem auderet: extremò hortantibus amicis, palam pro concione, vtrumque tentauit: nec euentus defuit.

Hæc Taciti atque Tranquilli verba si perpendantur, Dæmonem ob facilem superstitiosorum hominum credulitatem sub Serapidis nomine in Vespasiano, dum cæcus, & manu,seu crure læsus curantur, operatum esse, illaq. opera, etsi mirabilia; miracula tamen non fuisse, quis fateatur necesse est: ægritudines namque illæ testimonio Medicorum, vt ait Tacitus, ope humana superabiles erant, hoc est,curabiles, impedimentis, quæ à Dæmone, & fortasse non à Medicis, noscebantur, amotis. Curationes autem fuerunt mirabiles, non quantum ad substantiam facti, nec quantum ad id, in quo præstitæ fuerunt, sed quantum ad modum & ordinem operandi, hominibus tantum ignotum, non naturæ: quia hoc modo fuisset saltem miraculum illud, quod inter miracula infimum tenet gradum, vti suo iam loco explicatum fuit. Quamuis enim in Vespasiani sputo,& calce virtus sanan-

Pag. 48. & 51. vsque ad 53

ſanandi ægritudines illas re vera non fuiſſet: cæcitas tamen, & manus ſiue cruris debilitas ſine intrinſeco medicamento per amotionem impedimentorum præſtito curatæ non fuerunt: impedimentorum namque amotio intrinſece, non euidenter, aut non viſibiliter operata, medicamentum quoddam eſt. Hunc in modum oculum equi cuiuſdam viri, nomine Lenæi, dextrum ictu quodam læſum, & officio ſuo priuatum, à Dæmone ſub Serapidis nomine reſtitutum in priſtinum fuiſſe cenſendum eſt, vt Aelianus in libro xj. de animalium natura teſtatur. Is enim Auctor poſt multas equi laudes enarratas, ac ſtudioſiſſimam Lenæi precationē Serapidi habitam; equum, vt ipſius Aeliani vtar verbis, eximium, ſed oculo læſum, eoq. captum, fomentis denique ad Serapidis iuſſum redintegratum fuiſſe narrat hiſce verbis:

Tum Deus, vtcunque magnus, non neglexit neque contempſit brutum mutumq. animal: & pariter ipſius ſupplicantis miſertus, remedium dictat: iubetq. oculum equi, non quidem perfundi liquido vllo remedio, ſed fomentis per meridiem in ambitu templi calefieri. His peractis, equi oculus redintegratus eſt, & Lenæus Deo, vt gratum ſe declararet, ſacrificauit. Equus iam integer ſaltabat, & hinniebat circa templum, iamq. grandior & formoſior videbatur, ſeq. veluti oſtentans ad aram vſque non ſine ambitione accurrebat: denique circa gradus ſe volutans, Deo ſeruatori, quo poſſet, modo gratias ſe agere præſeferebat. *Aelianus lib.xi.cap. 31.*

Hæc de mirabili Serapidis, ſeu potius Dæmonis opere non ſine medicamentis extrinſecis, vel etiam fortaſſe intrinſecis præſtito.

Quæ autem diuinitus fiunt, ſiue à Sanctis, ſiue à malis hominibus, ad inuocationem tamen nominis Dei iuxta circunſtantias ſuo iam loco enarratas, nulla penitus re, neque intrinſece, neque extrinſece morbis adhibita, ſolo iuſſu, temporis momento fiunt, vt videre eſt in illis hominibus à natiuitate claudis: nam ad ſola hæc verba: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Et: *Pag. 17. cap. x.* *Act. 4.*

Act. 14. *Surge super pedes tuos rectus*; ambo exiliuerunt, & ambulauerunt laudantes Deum.

Si qua vero corporea res adhibeatur, illud ad mysterium repræsentandum factum dicas oportet, sicut in homine illo à natiuitate cæco actum vidimus: Nam, vt Ioan. 9. Beatus Ioannes Euangelista testatur, Christus Dominus in cæco sanando, expuit in terram, & lutum ex sputo fecit; & liniuit lutum super oculos cæci, deinde oculos Augu. tract. 44. in Io. 10. 9. in natatoria Siloe lauari præcepit. Hinc S. P. Augustinus in hunc locum ait: *De saliua sua fecit lutum, quia verbum caro factum est*. Vel, *vt indicaret se esse, qui ex limo terræ hominem formauerat*, vt ait sanctus Thomas, & colligitur Io. Chrys. hom. 9. in Marcum circa medii to. 2. & Beda. ex Ioanne Chrisostomo in Marcum, apud quem fit mentio de illo altero cæco per sputum item paulatim sanato, *quem*, vt dicit Beda, *vno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, vt magnitudinem cæcitatis ostendat, quæ vix, & quasi per gradus ad lucem redeat, & gratiam suam nobis indicet, per quam singula perfectionis adiuuat incrementa*. Vel, S. Th. 3 p. q. 44. ar. 3. ad 2. & in Marc. c. 8. Nic. Lyr. *Id factum fuit propter imperfectam ipsius cæci & offerentium fidem*, vt inquit sanctus Thomas ex Ioanne Chrysostomo, & alijs, qui locum Marci commemoratum interpretantur. Hæc hactenus, vt ad mirabiles Vespasiani curationes, vnde digressi sumus, reuertamur.

Aegritudinum itaque curationes, vt finem huic rei imponamus, à Dæmone sub nomine Vespasiani, Serapidis monitu, aut consilio præstitæ, miracula re vera non sunt, quia ægritudines illæ iudicio Medicorum, ope humana curabiles erant. Quamuis interea temporis momento curatæ videantur; præuias tamen dispositiones, impedimentis amotis, aliqua item temporis intercapedine, & non sine aliquo medicamento intrinseco sensim factas fuisse credendum est.

Aegritudines igitur ex accidenti contractæ, principijs autem naturæ curabiles; quamuis curatu difficillimæ, & à Medicis desperatæ, à Dæmone tamen curari possunt, ita

ita vero repente, & absque vllo medicamento extrinseco, aut morbis apto, & congruenti, vt curationes ipsæ miracula videantur. Huius generis fuerunt curationes illæ à Vespasiano Imperatore, & à Serapide, arte tamē Dæmonum, exhibitæ; quas non sine medicamento extrinseco, aut saltē intrinseco sensim factas fuisse dicas oportet.

Altero item istorum saltem modorum curationes à Medicis forsan ignoratas, ac desperatas, à Dæmone autem omnium Medicorum scientissimo cognitas, in Aesculapij Templo sub falso, siue ficto Aesculapij Dei nomine præstitas fuisse censendum est, sicut Græca inscriptio marmore incisa, in eodemq. olim Templo, ad insulam Tyberinam, vbi remedia morborum, vel gratiæ impetratæ scribebantur, sita; nunc vero in antiquarum totius Orbis inscriptionum Libro, quem Martinus Smetius edidit, Græcè ac Latinè impressa, & superioribus annis in Aedibus Bernardini Cardinalis Maffæi Græca extabat, in hanc ipsam verborum testatur formam, è Græco ad verbum Latinè reddita:

Pag. 19. Vide Theatrū vitæ humanæ to. 5. pag. 1404. S. Tabella.

HISCE. DIEBVS. CAIO. CVIDAM. CÆCO. ORACVLVM. EDIDIT
VENIRET. AD. SACRVM. ALTARE
ET. GENVFLECTERET. A. PARTE. DEXTERA
VENIRET. AD. LÆVAM
ET. PONERET. QVINQ. DIGITOS. SVPER. ALTARE
ET. ELEVARET. MANVM. ET. PONERET. SVPER. PROPRIOS. OCVLOS
ET. RECTE. VIDIT. POPVLO. PRÆSENTE. ET. CONGRATVLANTE
QVOD. GRANDIA. MIRACVLA. FIERENT
SVB. IMPERATORE. NOSTRO. ANTONINO

LVCIO. AFFECTO. LATERIS. DOLORE
ET. DESPERATO. AB. OMNIBVS. HOMINIBVS
ORACVLVM. REDDIDIT. DEVS
VENIRET. ET. EX. TRIBOMO. TOLLERET. CINEREM
ET. VNA. CVM. VINO. COMMISCERET. ET. PONERET. SVPRA. LATVS
ET. CONVALVIT. ET. PVBLICE. GRATIAS. EGIT. DEO
ET. POPVLVS. CONGRATVLATVS. EST. ILLI

SAN.

SANGVINEM. REVOMENTI. IVLIANO
DESPERATO. AB. OMNIBVS. HOMINIBVS
EX. ORACVLO. RESPONDIT. DEVS
VENIRET. ET. EX. TRIBOMO. CAPERET. NVCLEOS. PINI
ET. COMEDERET. VNA. CVM. MELLE. PER. TRES. DIES
ET. CONVALVIT. ET. VENIENS. PVBLICE. GRATIAS. EGIT
PRÆSENTE. POPVLO

VALERIO. APRO. MILITI. CÆCO. ORACVLVM. REDDIDIT. DEVS
VENIRET. ET. ACCIPERET. SANGVINEM. EX. GALLO. ALBO
ADMISCENS. MEL. ET. COLLYRIVM. CONFICERET
ET. TRIBVS. DIEBVS. VTERETVR. SVPRA. OCVLOS
ET. VIDIT. ET. VENIT. ET. GRATIAS. EGIT. PVBLICE. DEO

Caium cæcum, primo Inſcriptionis commemoratum loco, à Dæmone ſub Aeſculapij nomine, vt monet Inſcriptio, aliquo ſaltem medicamento intrinſeco, impedimento ſcilicet amoto, ſanatum fuiſſe cenſendum eſt. Ceteros autem homines infra enarratos ab eodem ficto Aeſculapio medicamentorum virtute, à Medicis eo forſan tempore ignorata, ſanatos fuiſſe fatendum eſt, veluti fuit medicamentum illud ex nucleis pini cum melle confectum, quod ſanguinem reuomenti, vt noſtri aiunt Medici, plurimum prodeſt, & pectus purgat: atque item fomentum illud lateris dolori vtile; collyriumq. illi præſertim oculorum morbo idoneum, ac præſentaneũ principijs naturæ medijs fuiſſe Medici omnes affirmant.

Balthaſar Piſanellus.

Hæc de admirandis Dæmonum operibus, quæ tamen, ſi recte iuxta normam à Theologis præfinitam, ſuisq. iam locis à nobis explicatam penſitentur, miracula non eſſe quis fateatur neceſſe eſt. Qua de re huius generis opera, & alia item multa perpendenda ſunt, & veluti trutina quadam diligenter examinanda, ne Dæmonum fraudulentis operibus, ſiue falſis, ſiue veris, ab Hypocritis, aut Pſeudoſanctis decipiamur. Cetera vero miracula, quæ principijs naturæ medijs fieri nullo modo poſſunt, quatenus naturæ facultatem omnino ſuperant,

Pag. 19. 20. 21. & 38.

cuiuſ-

cuiuſmodi ſunt curationes circa ægritudines à natura
contractas, mortuorumq. ſuſcitationes, tantam inqui- *3. Reg 17*
ſitionem, atque inueſtigationem non poſtulant. Quæ *4. Reg. 4. & 13.*
ſanè miracula à Prophetis, à ſanctis Apoſtolis, & à Chri- *Matth 9.*
ſto Domino facta in Scriptura ſacra paſſim cernuntur, *27. Mar.*
quæ quia longum eſſet enarrare, nunc ſilentio præter- *5. 6. 16. Luc. 5. 7.*
eunda cenſemus. Num autem ob miracula, quæ à Deo, *3.*
vel ab alijs virtute tantum diuina fieri poſſunt; vel etiam *Ioan. 11.*
propter fructum ſcientiæ, ac donum prophetiæ canoni- *Act. 3. 5. 9 14. 19. 20*
zari queant, hoc loco inueſtigandum cenſemus. *Hebr. 11.*

Num aliquis ob miraculorum euidentiam canonizari pro Sancto queat. Cap. XXIX.

DVabus, vt reor, de cauſis, in dubium
reuocatur, num ſcilicet quis ob mira-
cula pro Sancto canonizari queat; Vel
quia ſanctitas ſine miraculis eſſe po-
teſt, vt conſtat de Ioanne Baptiſta, *Idē pag.*
quem nullum miraculum feciſſe apud *82. de S.*
Ioannem Euangeliſtam legimus; Vel *Io. Baptiſta.*
quia (quod magis refert) miracula etiam à non ſanctis, *Ioan. 10.*
immo à malis hominibus fieri poſſunt, vti iam ex doctri- *Pag. 17.*
na ſancti Thomæ, atque aliorum Doctorum demonſtra- *18.*
uimus. Homines tribus modis malos eſſe poſſe docet *S. Tho. 2. 2. q. 178.*
Auguſtinus Triumphus in Summa de poteſtate eccleſia- *art. 2.*
ſtica; Vel ſcilicet ob malam doctrinam, & ab Eccleſia *Aug. Triumph. q.*
ſancta vetitam; Vel ob prauam vitam, varijs peccatis *15. art. 4.*
irretitam; Vel ob inanem gloriam de aliquo bono opere *in corp.*
ſuſceptam. Homines mali primo modo ſumpti, ſunt
Dæmonem in arte magica inuocantes, qui vera miracu-
la facere non poſſunt: hæc enim nonniſi virtute Dei, vt
S. P. Auguſtinus ait, fieri poſſunt, Angelorum miniſte- *S. Auguſt.*
rio, Sanctisq. orantibus, & impetrantibus ea, quæ ad *lib. 22. de*
horum inuocationem fiunt. Quomodo autem Mago- *Ciuit. Dei c. 9. 10. 5.*
rum

rum opera admirationis plena fiant, ſatis dictum fuit.

Homines mali ſecundo modo accepti, ad inuocationem nominis Chriſti, & Sanctorum, vera miracula facere poſſunt, ad bonorum hominum vtilitatem, vt ipſi Deum venerentur, & in fide ac doctrina vera per ipſa miracula confirmentur: miracula enim, Beato Hieronymo atteſtante, non ſemper ad meritum illius, qui operatur; ſed ad condemnationem inuocantium, & ad eorum, qui miracula vident & audiunt, vtilitatem.

Lib. 1. in Matth. c. 7. to. 6.

Homines tertio modo ſumptos, quantumcunque ſanctos, nonnunquam de aliquo miraculo inani gloria captos fuiſſe conſtat, vt apud Lucam videre licet, vbi Saluator noſter lætitiam, qua ob ſpiritus ſibi ſubiectos Diſcipuli affecti videbantur, reprehendit quòd ea lætitia, vt Doctores exponunt, inanem gloriam ſaperet. Hinc ait Ioannes Chryſoſtomus: *Cum cetera vitia in ſeruis Diaboli locum habeant; vana gloria etiam in ſeruis Dei locum tenet.* Quare etiamſi huius generis homines hac in re boni non ſint, ad teſtificationem tamen ſanctitatis ac doctrinæ veritatis multa ſigna & miracula eis à Deo conceduntur. Quamuis igitur hominibus malis miracula interdum facere concedatur; aliqui tamen ob miracula euidenter facta canonizari poſſunt, ac debent, nulla in primis re vitæ ſanctitati aduerſante, cum miracula ſigna ſint teſtificationis ſanctitatis, atque doctrinæ veritatis Sanctorum manifeſta. Hæc ex Triumpho. Quoniam verò miracula dictas ob cauſas ab hominibus etiam non ſanctis interdum fieri poſſunt, cum ſint gratiæ gratis datæ, quæ cum peccato ſtare queunt; miracula poſt mortem facta maiorem ſanctitatis euidentiam, quàm quæ in Vita ſunt perpetrata, præſeferunt, ob idq. Canonizationem facilius admittunt.

Luca 10.

Io. Chryſoſt.

Aug. Triumph. vbi ſup.

An

An propter donum scientiæ, ac prophetiæ aliquis pro Sancto canonizari queat. *Cap. XXX.*

CAnonizatio alicuius charitatem eius postulat & sanctitatem, sine qua, vt suo iam loco explicatum est, scientiæ donum datur, & prophetiæ iuxta Beati Pauli sententiam dicentis: *Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quamuis enim vita æterna, quæ Sanctis datur, scientiæ donum habenti videatur promitti iuxta illud Ecclesiastici dictum: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt;* scientia tamen, aut doctrina non ex se tantum, sed igne charitatis accensa, præmium illud æternæ vitæ promeretur, & consequitur. Huius generis erat doctrina Pauli Apostoli, qui in fide ac veritate Doctor Gentium fuit: nam sicut ferrum ignitum non est aliud, quàm ignis, vt Beatus Ioannes Chrysostomus in Homilia de Beati Pauli laudibus ait; ita eius doctrina igne charitatis accensa, aliud, quàm charitas, eodem Chrysostomo attestante, non erat. Nemo itaque propter scientiæ donum canonizari potest. Hinc Gregorius ix. de sanctitate sine scientia, quam doctam imperitiam, vel imperitam doctrinam possumus eleganter appellare, in canonizatione Beati Francisci Assisinatis ait hunc in modum: *Hoste triplici in terra positus* (hoc est Franciscus) *superato, Regno cælorum vim intulit, & illud rapuit violenter: & post huius vitæ quàmplurima gloriosa certamina, mundum triumphans, feliciter migrauit ad Dominum, multos praueniens scientia praditos scienter nescius, & sapienter indoctus.*

Pag. 18. & 42 Aug. Triumph. q. 15. ar. 1. & 5. *1. Cor. 13* *Matth. 17.* *Eccl. 24.* *Io. Chrys. hom. 3. de laudibus Pauli.* *Greg. ix.* *Gerardus Vossius. Ex Registro anni 2. Pontif. in Bibliot. Vatic.*

Hucusque Gregorius, qui nominat Franciscum Seraphicum scienter nescium, & sapienter indoctum, quippe qui Iesum Christum crucifixum (cuius stigmata suo in

Greg. ix. & Alex. Quartus in Bullis.

quæ in Archiuo magno SS. Apostolorũ Vrbis Romæ asseruantur. corpore impressa gestare meruit, ob idq. ab Alexandro IV. omnium Sanctorum splendor dictus est) scienter & sapienter quidem sciebat instar Beati Pauli Apostoli ad Corinthios in hæc scribentis verba: *Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. *1. Cor. 2. Coloss. 2. Phil. 3.* Qui enim vere scit Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ Dei, pretium & præmium electorum, & vita æterna, scit quidquid sciri debet. Adde etiam quòd in Christo crucifixo veterem hominem nostrum *Rom. 6.* cruci affixum discimus, vt scilicet destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato, hoc est, vt amplius diabolo seruiendi necessitatem non habeamus, vt Glossa in hunc locum ait. *Non ergo* (inquit) *ita accipiendum est quod hic dicit Apostolus tanquam ea tantum dixerit, quæ de Christo credenda sunt, sed etiam quæ sunt obseruanda tàm in vita, quàm in moribus ab eo, qui accedit ad compagem corporis* *Nicol. Lyr.* *Christi*; vel, vt ait Lyranus, *quæ pertinent ad salutem per crucem Christi factam*. Idcirco Christianus Poeta quidam dixit:

Si Christum discis, satis est, si cetera nescis:
Si Christum nescis, nihil est, si cetera discis.

Hæc igitur de Christo crucifixo scientia (non illa huius mundi) est omnium scientiarum regina & vera sapien- *1. Cor. 2.* tia, &, vt ait S. Paulus, in mysterio abscondita, qua sanctus Franciscus imbutus & insignitus, scienter nescius, & sapienter indoctus meruit appellari, hoc est sciens & sapiens Christo, nesciens & indoctus mundo. Hanc item de Christo crucifixo scientiam sanctus Thomas Aqui- *Hieron. Vielm. li. 2. de doctr. S. Tho. ex Gersone.* nas, Doctor vere Angelicus, & splendidissimum Ecclesiæ catholicæ lumen, præter ceteras scientias ab eo angelicè interpretatas (de quibus Ioannes XXII. affirmasse fertur hisce verbis: *Non est de eius miraculis vehementer* *Io. Garzo in vita S. Thomæ.* *curandum, quippe qui tot miracula fecit, quot quæstiones determinauit*) diuinitus edoctus, ab imagine Christi cruci affixa, dum ad eam ardenter oraret, hæc meruit miraculosè

audi-

audire: *Bene scripsisti de me Thoma: quam ergo mercedem accipies? Cui ille: Non aliam Domine, nisi teipsum.* Hæc etiam de Christo scientia ab illa differt: quia illa peccatorem interdum admittit; hæc vero nonnisi Sanctum: illa sine sanctitate stare potest, hæc autem non item: hinc sicut litterarum ignorantia sanctitatem interdum admittit; ita litterarum peritia interdum, immo frequenter sanctitatem excludit. Huc spectare videtur illud Beati Hieronymi scitè dictum: *Nec rusticus & simplex frater ideo se sanctum putet, si nihil nouerit: nec peritus & eloquens, lingua æstimet sanctitatem: multoq. melius est è duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem.* Hæc de scientiæ dono sine sanctitate canonizationem non admittente, vt de prophetiæ dono idem intelligendum esse ostendamus. *S. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum to. 1.*

Quamuis item Spiritus sanctus in animas sanctas se transferat, amicos Dei & prophetas constituendo, vt in libro Sapientiæ legitur; Spiritus tamen sanctus non se transfert in animas eorum, quibus donum prophetiæ datur, nec eos amicos Dei constituit, nisi quando ad mentem recipientis illustrandam prophetiæ donum confertur: quando autem ad aliorum tantum instructionem datur, non item. Quamuis denique à Beato Petro dicatur: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines:* aliud tamen est loqui in Spiritu sancto; aliud vero in virtute sancti Spiritus: Sancti enim homines loquuntur vera in Spiritu sancto, sed mali homines loquuntur vera virtute nominis Christi, & virtute Spiritus sancti, non in Spiritu sancto. Hinc à sancto Euangelista Matthæo mali homines in vniuersalis iudicij die introducuntur dicturi: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus?* significanterq. eo loci dictum volunt, (*in nomine tuo*) quasi non in spiritu tuo, aut in spiritu Dei, immo in spiritu Diaboli, vt ait Triumphus. Idcirco huius generis Pro- *Sap. 7.* *2. Petr. 1.* *Matth. 7.*

Aug. Triumph. q. 15 art. 5. ad 2. phetis respondebitur à Domino: *Nescio vos*. Nemo itaque propter solum scientiæ, ac prophetiæ donum absque sanctitate canonizari potest: sola enim vitæ sanctitas, & quidem clarissima, longa temporum serie ad finem vsque vitæ inclusiue, vt alibi diximus, nunquam interrupta, Canonizationem à Principibus viris, siue à Rege, vel Imperatore, atque item à Prouincijs, & Populis ciuitatum aut locorum suppliciter, & frequenter postulatam, ordineq. iudiciario, ac ritu solemni celebrandam, admittit.

Pag. 14. cap. 8.

Num aliquis fama bona ornatus, & pro Sancto à Populis & Principibus viris denunciatus, canonizari statim debeat. Cap. XXXI.

Aug. Triumph. q. 15. art. 3. & q. 16. ar. 2.

QVo maius ac difficilius negotium tractandum sese offert, eo attentius ac maturius deliberandum censetur: ita vero, vt in eo industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas adhibeantur, ex quibus contrarijs quid optimum, & quasi, ad amussim factum, in lucem prodire necesse est. Hinc Augustus, & sapienter quidem, per duo illa contraria duobus vocabulis Græcis quid tale in rebus grauissimis faciendum exprimere solebat hunc in modum: Σπεῦδε βραδέως, hoc est, *Accelera tarde*. Cum itaque Canonizationis opus maximum sit, ac difficillimum inter ea, quæ in Ecclesia sancta Dei fieri solent, maximam postulat maturitatem, diligentem scilicet rerum gestarum, vitæq. illius, qui catalogo Sanctorum est adscribendus, non semel repetitam inquisitionem, atque inuestigationem: testes enim fallere, ac falli possunt, aliquo indecenti affectu persuasi. Idcirco Beatus Ioannes Apostolus ait: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint*. Industriæ igitur celeritas, & diligentiæ tarditas, quæ veram faciunt maturi-

Accelera tarde.

1. Ioan. 4.

turi-

turitatem, has ob causas in canonizatione iure desiderantur, hoc est propter sanctitatis & miraculorum veritatem, propter operis arduitatem, & propter fidei firmitatem, atque constantiam.

Maxima in canonizatione tractanda opus est maturitate propter veritatem circa sanctitatem & miracula indagandam, ne falsa pro veris, siue turpis lucri gratia, siue humanæ laudis, aut gloriæ appetitu, aut alio affectu indecenti enarrentur, mira Dæmonum versutia & calliditate suadente, arte item eorumdem ac potestate adiuuante. Id quod ex doctrina, quam de veris ac falsis miraculis, necnon de operibus Dæmonum nuper conscripsimus, facile fieri posse credendum est. Hinc S. P. Augustinus in libro de vera religione nos admonet, vt quibus credendum sit, quod ad miracula & inuisibilia pertinet, diligenter videamus, omni scilicet adhibita maturitate: propterea quòd vera miracula, quæ vitæ sanctitatem præseferre solent, Canonizationem admittendam satis persuadent. Arduitas item operis maturitatem postulat: quanto enim opus est magis arduum, tanto maiori industriæ celeritate, diligentiæq. tarditate faciendum est, sapientissimo Saluatoris nostri documento, qui non statim, sed cæremonijs præuijs Lazarū à morte suscitauit; nec item Cananeæ filiam statim sanauit; sed, vt ait Chrysostomus sanctus, quanto magis mulier suppliciter orabat, tanto magis Christus sanitatem reddendam negabat.

Pag. 16. 17. & seq.

Lib. de vera Relig. c. 25. to. 1.

Ioan. 11.

Chrys. homil. 53. in Matt. 15. to. 2.

Propter fidei firmitatem atque constantiam roborandam Canonizatio item differri debet. Christus itaque, vt sanctus inquit Chrysostomus, Mulierem illam Cananeam clamantem non statim exaudiuit, vt fides illius promulgaretur, quippe quam intus moueret, vt verbis illis, *Miserere mei Domine fili Dauid*, Christi diuinitatem & humanitatem confiteretur. Hinc ipsa meruit audire: *O Mulier, magna est fides tua. Fiat tibi sicut vis.* Propter

Chrys. in Matt. 15. to. 2.

Matth. c. 15.

igitur

igitur veritatem miraculorum indagandam, propter operis arduitatem, & fidei firmitatem atque constantiam, Canonizatio, quæ est opus summè arduum, in plurimos menses atque annos proroganda censetur: ex qua prorogatione frequentia miraculorũ augetur, miraculorumq. veritas magis elucescit, operumq. misericordiæ fama multo magis diuulgatur, ac fides de operibus misericordiæ illius, qui canonizandus est, in cordibus tandem Populorum confirmatur ac roboratur, & sanctitas declaratur: temporum namque diuturnitas magistra & lucerna veritatis esse solet: immò nonnulli, vt ait Aulus Gellius, Veritatem Filiam temporis, & sapienter quidem, esse dixerunt. Idquod exemplo de quodam præsertim Hermanno hæretico, fictæ sanctitatis homine, comprobatur: quem, vti alibi diximus, post falsam à Populis sanctitatem viginti annorum interuallo (teste Platina) prædicatam, Bonifacius VIII. exhumari, comburiq. iussit, diligentissima de ipsius hæresi, fictaq. sanctitate, habita inquisitione. Tempore item Alexandri III. quidam in ebrietate ac seditione occisus, tamquam Martyr colebatur. Sancti denique Martini tempore ignotus quidam etiam tamquam Martyr honorabatur: sed sancto Martino Deum ad eius sepulchrum orante, illum hominem scelestum, ac damnatum fuisse diuino fauore compertum est, vt Sulpitius Seuerus post multa testatur hisce verbis: *Deinde super sepulchrum ipsum astans* (hoc est, Martinus Sanctus) *orauit ad Dominum, vt quis esset, vel cuius meritis sepultus, ostenderet. Tum conuersus ad læuam, vidit prope assistere vmbram sordidam, trucem. Imperat, nomen, meritumq. vt loqueretur: nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse, ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum Martyribus esse commune; cum illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis qui aderant, audiebant, personam tamen non videbant. Tum Martinus, quid vidisset, exposuit: iussitq. ex eo loco Altare, quod ibi fuerat, submo-*

Vide pag. 13.

Veritatis magistra, & lucerna.

Gell. lib. 12. c. 11.

Platina in Bonif. viij.

Pag. 12.

Cap. Audiuimus de Reliq. & ven. SS. lib. 3. Decretal. tit. 45.

Sulp. Seu. lib. de vita S. Mar. c. 8. Et to. 7. Bibliot. Veterum PP.

ueri:

ueri: atque ita Populum superstitionis illius absoluit errore. Hæc Seuerus. Sanctorum itaque Canonizatio longa temporum, aut seculorum serie iure differri solet ac debet, sicut de sancto Hyacintho, & Beato Raymundo, vt ceteros post magnam temporum diuturnitatem canonizatos silentio prætermittam, factum esse constat: quorum ille Anno Domini M.CC.LVII. ex hac luce decessit; deinde Anno salutis nostræ M.D.XCIV. in Sanctorum numerum relatus fuit: Hic vero Anno Domini M.CC. LXXV. die Epiphaniæ ex hac vita migrauit; Annoq. salutis nostræ M.DCI. fuit canonizatus. Hæc de Canonizatione Sanctorum magno temporum, aut aliquot seculorum interuallo proroganda.

S. Hyacinthus.

S. Raymundus fuit canonizatus anno Domini 1601.

Quamuis autem res ita sese habeat, tamen ob admirandam interdum sanctitatis, & miraculorum euidentiam, siue ob Martyrium, cunctis difficultatibus, quæ Canonizationem prorogare solent, non minus diligenter, quàm cito superatis, breui temporum interuallo nonnulli, sed quidem pauci, Canonizati fuerunt: Quorum è numero est Sanctus Antonius Lusitanus, de Padua vocitatus, qui anno eodem, quo ex hac vita decessit Spoleti, canonizatus fuit à Gregorio IX. vt videre est in libro primo Conformitatum vitæ Sancti Francisci fructu octauo, parte secunda; necnon in Historia Seraphica Petri Rodulphij Tossinianensis libro primo. Huius Canonizationis originale iamdiu Anagniæ asseruatum fuit: nunc verò Romæ in Bibliotheca Vaticana, iussu Gregorij XIII.

Pag. 81.

Pag. 83.

Sanctus Pettus Martyr Veronensis ex Ordine Prædicatorum Anno post Martyrium primo, nondum exacto, canonizatus fuit ab Innocentio IV. *1253.*

Sanctus Thomas Cantuariensis anno post Martyrium sequenti ab Alexandro III. in Sanctorum numerum relatus fuit. *1174.*

Sancta Elizabeth vidua Ordinis Minorum canonizata *1235.*

fuit

fuit anno post obitum quarto à Gregorio Nono.

Sanctus Bellinus Episcopus Patauinus canonizatus
1150. fuit biennio post Martyrium ab Eugenio III. vt ait Bernardinus Scardeonius in lib. 3. de Antiquitate Patauij, Vel, vt alij volunt, Anno primo post Martyrium, hoc est, Anno Domini M. C. L.

Sanctus Franciscus Auctor Ordinis Fratrum Mino-
1228. rum, ex hac vita decessit anno Domini M. CC. XXVI. quarto die mensis Octobris, & canonizatus fuit à Gregorio IX. anno Domini M. CC. XXVIII. die decima sexta mensis Iulij, hoc est, mense xxj. post eius obitum, vt legitur in Historia Seraphica Petri Rodulphij Tossinia-
Pag. 41. nensis libro primo, cap. 15.

Sanctus Homobonus Cremonensis, qui anno Domini
1198. M. C. XCVII. ex hac vita decessit, ab Innocentio III. Sanctorũ catalogo fuit adscriptus anno Dom. M. C. XCVIII.

Sancta Brigitta vidua obijt anno Domini M. CCC. LXXIII. die xxiij. Iulij, & canonizata fuit anno Domini M. CCC. XC. vel M. CCC. XCI. anno primo Bonifacij
Pag. 256. IX. vt legitur in vita eiusdem.

Sanctus Vbaldus Episcopus Eugubinus ex hac vita de-
1192. cessit anno Domini M. C. LXIX. & à Cælestino III. Sanctorum catalogo fuit adscriptus anno Dom. M. C. XCII.

Sanctus Dominicus Ordinis Prædicatorum Institutor,
1234. anno xiiij. postquam ex hac vita decessit, canonizatus fuit à Gregorio IX. obijt namque anno Domini M. CC. XXI. & in Sanctorum numerum relatus fuit anno Domini M. CC. XXXIIII.

Sanctus Thomas Aquinas Doctor Angelicus, anno
1323. 50. postquam ex hac vita decessit, inchoante, à Ioanne XXII. canonizatus fuit.

Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus cano-
1523. nizatus fuit anno sexagesimo post eius obitum ab Adriano VI. Hæc de tempore canonizandi Sanctos. Nunc reliquum est, vt de miraculis, quæ in Canonizatione Sanctorum

ctorum præcipuum obtinent locum, diligenter examinandis sermonem habeamus.

De Miraculis diligenter examinandis in Canonizatione alicuius, ac de modo examinandi ea. Cap. XXXII.

TAnta in miraculis examinandis debet adhiberi diligentia, quanta maxima esse potest, ob summas & quidem plurimas, quæ inde suboriri solent, difficultates, sicut ea, quæ de veris miraculis, necnon ludificatorijs, admirandis tamen Dæmonum operibus, adhucusque à nobis explicata sunt, apertè demonstrant. Sacrosanctum itaque Concilium Tridentinum nulla noua miracula admittenda esse decernit, nisi recognoscente & approbante Episcopo: qui simulatque de ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & alijs pijs viris, ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea iudicauerit. Hæc ex sacrosancta Synodo Tridentina. Miracula idcirco absque Episcopi recognitione atque approbatione, ac sine Theologorum consilijs admitti non debent. *Concil. Triden. sess. 25. de reliquijs Sanctorũ, prope finẽ.*

Testes insuper in hanc rem tam grauem & arduam adhibendi sunt de singulis eorumdem miraculorum circumstantijs diligenter interrogati; qui, vt clariorem veritatis, rerumq. gestarum testificationem efficiant, contestes de vna & eadem re esse debent, & plures quidem: si enim vnus de re singulari, alter vero de re testetur altera; tanquam testes singulares, vt iuris peritissimis placet; nihil profecto probant: e quorum numero item sunt qui in aliqua testificatione scientiæ caussam non reddunt: *Pluris enim est*, vt Poeta ille ait, *oculatus testis vnus, quàm auriti decem*. Hæc de examinandis miraculis, quorum conditiones proprias, quæ vera miracula præseferunt, & apertè declarant, loco *Archid. in c. Nec mirũ 26. q. 5.* *Bald. in lege Solã de testibus, & alij in d. cap. venerabili.* *Plautus in Truncul.*

Caff. p. 3. Catal. gl mūdi con ſi l. 49. post glo. in d. c. 1. de reliq. & vea. Sanct.

iam ſuo explicauimus, & multo quidem fuſius, quàm alij, qui de hac materia ſuperficie tenus ſcripſerunt: hinc ea in medium afferre non libet, ſed quænam illa ſint, quibus in Eccleſia militante quis inter Sanctos connumerari queat, explanabimus antequam ordinem iudiciarium in Canonizatione obſeruari conſuetum aggrediamur.

Neceſſaria pro Sancto in Eccleſia militante declarando. Cap. XXXIII.

Greg. ix. 14. annos in Pontificatū vixit, ac mē ſes 4.

GRegorius huius nominis Nonus libri Decretalium Auctor, qui quatuordecim, & amplius annos in Pontificatu vixit, quiq. in libro Decretalium compilando, Fratre Raymundo ex inſtituto Prædicatorum, nunc in Sanctorum numerum relato, adiutore vſus eſt; dum ſanctum Franciſcum Aſſiſinatem, Peruſij, Anno Domini 1228. anno autem ſui Pontificatus ſecundo; Sanctum Antonium, de Padua dictum, Spoleti, Anno Domini 1232. & ſui Pontificatus ſexto; Sanctum Dominicum Reate, Anno Domini 1234. & ſui Pontificatus octauo; Sanctamq. Elizabeth, Andreæ Regis Hungarorum filiam, Peruſij, Anno Dom. 1235. & anno ſui Pontificatus nono canonizauit; normam canonizandi poſteris fere præſcripſit, vt videre eſt ex eiuſdem litteris Apoſtolicis, quas ex Bibliotheca Vaticana deſumptas Gerardus Voſſius Flander, vir pius & eruditus, necnon de bonis litteris, præſertim vero de Eccleſiaſticis libris optime meritus, in lucem emiſit.

S. Franciſcus. S. Antonius. S. Dominicus. S. Elizabeth. Gerardus Voſſius.

Vt autem multa Gregorio IX. digna, quæ dictis in litteris ſparſim leguntur, ſilentio prætermittam, hoc loco ea tantum apponam, quæ in litteris Apoſtolicis ad canonizationem S. Antonij, de Padua nuncupati, pertinentibus ſcripſit in hanc verborum formam: *Ad*

hoc,

hoc, vt Sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & veritas signorum, merita videlicet & miracula, vt hæc & illa sibi ad inuicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis. Sed cum merita sana præcedunt, & clara succedunt miracula; tunc certum præbent indicium sanctitatis, vt nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, & signis subsequentibus exhibet venerandum: quæ duo ex verbis Euangelistæ plenius colliguntur: Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Marc. 16. Hæc Gregorius de rebus necessarijs, quæ in Ecclesia militante Sanctum declarant.

Quæ sanè omnia, & fusius quidem à Doctore Angelico, necnon à Beato Antonino, & ab alijs enarrantur. In hanc item sententiam plura videre licet in octauo huiusce Commentarij nostri capite, vbi quænam in eo, qui canonizandus est, requirantur, declarauimus. Ex eo denique, quod Ioannes Chrysostomus de sanctitate scriptum reliquit, colligi potest, quid pro Sancto declarando requiratur. Ait enim Chrysostomus: *Quid est Sanctus? Rectus, purus, mundus, ab omni reprehensione alienus, qui nullam vlli omnino præbet ansam.* Hæc de rebus, quæ sanctitatem cuiusque declarant.

S. Tho. 2. 2. q. 11. art. 8. *S. Ant. 3. p. tit. 12. c. 8. § 1.* *Pag. 14. cap. 8. & cap. 37. pag. 87.* *Io. Chrys. to. 1. hom. in Psalm. 144.*

Nunc reliquum est, vt, rebus ad Sanctum aliquem in Ecclesia militante declarandum explicatis, ordinem canonizandi iudiciarium, cui hæc omnia maiorem in modum deseruiunt, aggrediamur.

Ordo Iudiciarius in Canonizatione obseruari consuetus. Cap. XXXIV.

S. Augu. lib. de medicina c. 3. to. 9.

ECclesia sancta Dei, vt S. P. Augustinus in libello de pœnitentiæ medicina testatur, non nisi publicis testimonijs, aut documentis certior facta, de aliquo homine sententiam dicere, aut iudicium pronunciare solet. Hinc iuxta Romanæ Ecclesiæ ritum Actiones duodecim, aliquot ab hinc sæculis ad hanc vsque diem in Canonizatione præstanda celebrari consueuerunt: nam in primitiua Ecclesia tot actiones in vsu non erant: tunc enim ex fidei feruore, Christiq. meritis miracula, & alia opera ita erant euidentia, quòd aliqua tergiuersatione occultari non poterant. Adde etiam quòd antiquitus Sancti vt plurimum erant Martyres, de quibus, vt ait sua in summa Ostiensis, tanta inquisitio, quanta nunc de Confessoribus, non fiebat: sat enim est, si de Martyribus miracula diligenter examinentur, & propria martyrij causa inquiratur: causa enim, non mors, facit martyrium, vt ex Augustini doctrina explicatum iàm fuit. Quænam vero de Confessoribus inquirenda sint, nos item suo recensuimus loco. In Concilio Africano, in quo sermo habetur de veneratione Sanctorum, vt etiam videre est in tertia Decreti parte, non nisi de Martyribus fit mentio, vel ob rationem nuper assignatam, vel quia tunc temporis de Confessoribus nondum solemnia celebrari solebant, vt Beatus Antoninus in tertia parte summæ ait: & hanc ob causam, sicut Innocentio huius nominis III. placet, in sacro Missæ Canone nulla Confessorum memoria reperitur: quia Canon Missæ prius fuit editus, eodem Innocentio attestante, quàm memoriam Confessorum Ecclesia celebraret.

De ordine iudiciario Aug. Triumph. q. 16. art. 1.

Ostiensis lib. 3. de reliq. & vener. SS. nu. 3.

Pag 12. cap. 6.

Concil. Afr. c. 50. & Burch. lib. 3. c. 38 De cōsec. d. 1. c. Placuit.

B. Anto. tit. 12 c. 8

Innoc. lib. 3. Myst. Missæ c. x.

braret. Nam omnes ferè Sancti (ait ipse) in Canone commemorati, Siluestrum præcesserunt, Ioanne & Paulo, Marcellino & Petro exceptis, qui proximò successerunt. Ecclesia vero post Beati Siluestri tempora sanctorum Confessorum memoriam venerari, eorumdemq. canonizationem celebrare cœpit, in qua præstanda duodecim Actiones obseruari solent, quæ infra statim declarandæ proponuntur. *Alex. de Ales p.4. q 10. p.2. §.2.*

Actiones in Canonizatione alicuius Sancti requisita, Ex Augustino Triumpho q. 16. art. 1. Cassanao p. 3. consid. 50. Viguerio de Virt. fid. n. 104. ver. 4. & aliјs in cap. 1. de Reliquijs, & veneratione Sanctorum.

Actio I.

PRincipes in primis, aut Optimates cum Populis locorum Romano Pontifici canonizandum proponunt, eiusdem vitæ probitatem, opera, & miracula explicantes. Id quod pluribus mensibus atque annis interiectis frequenter ac suppliciter quidem faciendum censetur, vt ea prorogatione veritas rei clarius in dies elucescat. De hac prima Actione tempore Sixti V. extat exemplum. Nam Philippi II. Hispaniarum Regis, & Ciuitatis, ac Regni Valentiæ nomine, die 23. Iunij Anno Domini M. D. LXXXVI. in Consistorio secreto per Procuratorem, Aduocato Consistoriali accedente, supplicatum fuit, vt negotium de Beati Ludouici Bertrandi vitæ sanctitate ab eodem Pontifice aliquot Viris fide dignis in Regno Valentiæ pro eodem Bertrando canonizando committeretur. Istuc ipsum, eodemq. modo Anno Domini M. DC. IIII. Die 4. Februarij in Consistorio item secreto, Clemente VIII. sedente per duos Nuncios,

vel Oratores, Mediolanensi Aduocato Consistoriali postulante, suppliciter actum fuit, vt processus videlicet de vita & miraculis B. Caroli Cardinalis Borromæi pro eo canonizando præstitus diligenter examinaretur.

Actio II.

SI, fama sanctitatis crebrescente, magnaq. miraculorum facta in dies accessione, supplicibus postulationibus, & indesinenter quidem insistatur; Romanus Pontifex in Consistorio, quod secretum vocant, S.R.E. Cardinalibus Canonizationem suppliciter ac tot vicibus postulatam proponere consueuit: eoq. in Consistorio decerni solet, vt in Patriam ac Prouinciam illius, qui canonizandus est, pro notitia eorum, quæ denunciata fuerunt, suscipienda scribatur. Publica sanctitatis & miraculorum fama, populorumq. erga canonizandum deuotio, & id genus alia, Episcopis, & honestissimis viris, vitæq. integritate insignitis diligenter, ac generatim inuestiganda committi solent.

Actio III.

SI Episcopi, & viri integerrimi ea omnia, quæ de homine canonizando scripta iam fuerant, vera esse respondeant, & omnino affirment, in Consistorio item secreto S.R.E. Cardinales à Romano Pontifice sententias rogantur, num scilicet sanctitatis & miraculorum fama speciatim inuestiganda committi debeat.

Actio IV.

SI veritatis indagatio speciatim committenda censeatur, ijsdem vel alijs Episcopis, ac viris integerrimis

mis ſcribendum eſt, ac Diplomate Pontificio mandandum, vt veritatem ipſam, primum de fama; mox de vita, hoc eſt de miſericordiæ operibus cum vera animi demiſſione, vel humilitate coniunctis; tertio loco de miraculis, & quidem omnia diligenter, exactè, prudenter, ac fideliter iuxta formam in Diplomate præſcriptam, necnon iuxta articulos in eodem Diplomate comprehenſos inquirant. Omnia hunc in modum examinata, necnon ſigillis munita & incluſa, ad Romanum Pontificem mittuntur.

Actio V.

HAec tandem ad Romanum Pontificem miſſa, in Romana curia aliquot Rotæ Auditoribus, quos Papæ Cappellanos appellant, auctoritate, prudentia, & doctrina inſignitis à Summo Pontifice committi ſolent, ea tamen lege, vt omnia diligenter penſitent, titulos item ac notas, & concluſiones inde conficiant, ſuumq. ipſorum ijs in rebus omnibus iudicium ſincere ſubijciant.

Actio VI.

OMnia dictum in modum ab Auditoribus Rotæ diligenter penſitata, & iuxta examen, vel, vt aiunt, proceſſum de Vita Canonizandi formatum diſpoſita, iuſſu denique Summi Pontificis in ſacra Rituum Congregatione à S. R. E. Cardinalibus veluti trutina quadam iterum multorum menſium interuallo ſingulatim examinantur, ac perpenduntur, num ſcilicet omnia exactè ſint ab Audiroribus Rotæ comprobata, vel nonnulla ex ijs rebus animaduerſione digna cenſeantur, ita vero, vt Canonizatio iure admitti queat.

Actio

Actio VII.

HIs ritè peractis, Sacræ Rituum Congregationis Decanus in Consistorio, quod Secretum vocant, coram Summo Pontifice, vniuersoq. S. R. E. Cardinalium Collegio refert sententias in ipsa Congregatione prolatas circa examen, & Rotæ Auditorum Relationem, in qua Processuum, vt aiunt, acta, & probationes expenduntur, & Iudicium super Canonizatione facienda interponitur ad sacrorum Canonum Ritualium S. R. E. præscriptum. Si autem Summo Pontifici Canonizatio celebranda videatur, id in sequenti Consistorio, quod Semipublicum vocitatur, definiri solet.

Actio VIII.

De Consistorio Semipublico.

AD Consistorium Semipublicum tam Cardinales, quàm Prælati conuenire solent. Patriarchis itaque, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, qui Mitræ, ac Pastoralis Baculi vsum habent, tunc in Vrbe commorantibus, ad Consistorium Semipublicum conuocatis, Romanus Pontifex narrat ea, quæ in causa Canonizationis acta sunt ac legitimè probata; secreta tamen definitione suppressa, quæ in præcedenti Consistorio facta iam fuit; omniumq. tàm Cardinalium, quàm Prælatorum sententias exquirit.

Actio IX.

CErta deinde in eodem Consistorio Semipublico dies Canonizationis assignatur, qua omnes ad

certam

certam Ecclesiam, Romanus videlicet Pontifex, S. R. E. Cardinales, & Prælati cum vniuerso Clero & Populo conueniant.

Actio X.

SAnctissimus D. N. Papa sermonem habet, processum recitat, & probationes commemorat, adstantesq. omnes ad exorandum Deum cohortatur, vt in eo tam graui, tamq. arduo negotio diuinam sibi opem largiatur. Denique omnes genibus flexis orant; & cantatur Hymnus: *Veni creator Spiritus*.

Actio XI.

HYmno decantato, summus Pontifex ab oratione surgens, illum, de quo agitur, Sanctum esse definiendo declarat, Sanctorumq. Catalogo adscribendum, & tamquàm Sanctum venerandum, ipsiusq. festum diem singulo quoque anno celebrandum esse decernit.

Actio XII.

HIs rite ac pie peractis, sententia scilicet Canonizationis pronunciata, Hymnus (*Te Deum laudamus*) decantatur: quo tandem completo, Romanus Pontifex in honorem Sancti canonizati Missam ritu maximè solemni decantat: atque hunc in modum Canonizatio præsens in tempus absolui, terminariq. solet. Nunc reliquum est, vt videamus, an ordo iudiciarius, quem explicauimus, in singula quaque Canonizatione sit obseruandus.

An ordo iudiciarius superiori loco explicatus, tàm in Canonizatione Martyrum, quàm Confessorum obseruari debeat. Cap. XXXV.

Aug Triumph. q. 10. art. 1. Ecc. pot.

IVdiciarius ordo, vt Augustino Triumpho placet, duobus modis considerari potest, quantum scilicet ad inquisitionem, aut discussionem causæ Canonizationis, vel quantum ad causam, vt aiunt, motiuam. Primo modo iudiciarius ordo tàm in Canonizatione Martyrum, quàm Confessorum obseruari debet, secundo modo non item. Quando enim aliquis pro Martyre canonizandus est, non solum causa, propter quam fuerit passus, diligenter est inuestiganda; (quia causa non pœna, vt ait S. P. Augustinus, facit Martyrem) sed modus item patiendi est inquirendus: multi enim hæretici passi sunt, & patiuntur pro Christo, vt ait Triumphus, dum eius doctrinæ, ac præceptis aduersantur, de quibus inquit Apostolus sanctus: *Zelum quidem Dei habent, sed non secundum scientiam*, Qua in re Glossa inquit: *Stultum est, Dominum legis venerari, & legem eius ac doctrinam persequi & falsificare.* Causa igitur & modus patiendi omni diligentia inuestigari debent; nisi causa adeo esset manifesta, vt aliqua probatione, aut inquisitione non indigeret.

August. Epist 61. & 166. to. 2. Vide pag. 12. Aug. Triumph. vbi sup. Rom. 10.

Quantum ad causam Canonizationis (vt aiunt) motiuam, idem ordo iudiciarius, tàm in Canonizatione Martyrum, quàm Confessorum obseruari non debet: quia finalis martyrij causa, est defensio atque confessio veritatis fidei Christianæ, necnon eorum, quæ fidei annectuntur, cuiusmodi sunt ea, quæ de Ioanne Baptista à Beato Marco Euangelista scripta leguntur: is enim quamuis nullum fecerit miraculum, & Christum,

S. Io. Bap. nullum fecit miraculum. Idem pag. 64.

ſtum, aut Chriſti fidem negare coactus non fuerit, veritatem tamen atque iuſtitiam negare cogebatur. Herodes namque nolebat, vt Ioannes Baptiſta diceret: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*. Quoniam vero pro tali veritate paſſus eſt, ipſum ob talem cauſam S. P. Auguſtinus Martyrem Chriſti effectum fuiſſe affirmat.

Mar. 6.
S. Auguſt. Pſal. 140. to. 8.

Motiua itaque Canonizationis illius, qui pro Martyre canonizandus eſt, talis debet eſſe cauſa, qua exiſtente, nulla alia inquiſitione præuia, nulloq. miraculo intercedente, pro Martyre canonizandus eſt, atque venerandus, etiam nondum baptizatus: cui, vt ſancto Auguſtino placet, paſſio pro baptiſmo deputatur: qui non aquæ, ſed ſanguinis baptiſmus eſt.

Paſſio pro baptiſmo.
Epiſt 108. to. 2.

Quamuis autem Martyrium tàm bonis, quàm malis commune ſit; Martyrij tamen cauſa extrinſeca & finalis, quæ eſt confeſſio Chriſtianæ fidei, & pro veritatis fidei defenſione mori, omnibus communis non eſt, veluti nec etiam charitas, quæ eſt meritoria & intrinſeca Martyrij cauſa, opus videlicet Martyrij meritorie imperans: Hinc ſanctus Hieronymus in Epiſtolam Beati Pauli ad Galatas, de opere ſine charitate facto, ait: *Vide, quantum bonum eſt charitas: ſi ita Martyrium ferimus, vt noſtras velimus ab hominibus reliquias venerari; & ſi opinionem vulgi ſectantes intrepidi ſanguinem fuderimus, & ſubſtantiam noſtram vſque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tàm præmium, quàm pœna debetur: & perfidiæ magis tormenta ſunt, quàm corona victoriæ*. Hæc S. Hieronymus. Martyrium itaque pro Chriſto Domino, proq. fidei confeſſione, charitate intercedente, ſuſceptum (cum ex ſe cauſa ſanctitatis exiſtat) facit, vt aliquis nulla alia nec miraculorum, nec operum miſericordiæ inquiſitione præuia (quæ tamen pro Confeſſoribus canonizandis eſt neceſſaria) pro Martyre canonizari, & Sanctorum Catalogo adſcribi queat ac debeat.

Hieron. in c. 5. Ep. ad Gala. to. 6 & 1. q. 1. cap 05. Vide.

De pot. Eccl. q. 10. ar. 3.

debeat. Hæc ex Augustino Triumpho, cuius doctrina in hoc capite maiori ex parte vsi sumus, sicut ex eo loco, quem nuper commemorauimus, videre est. Quoniam vero iudiciarius ordo multa implicitè comprehendit, quæ aliqua indigent explicatione; nonnulla idcirco ad eum explicandum hoc loco declaranda sunt, vt omnia, quæ ad Canonizationem celebrandam pertinent, intimius intelligantur.

De rebus, quæ fiunt ante tria Consistoria, quæ pro celebranda Canonizatione haberi solent. Cap. XXXVI.

Io. Vigue. de virt. fid. Ver. 3 nu. 104.

QVamuis ordo iudiciarius in Canonizatione Sanctorum obseruari soleat, in primitiua tamen Ecclesia, vt ait Viguerius, dicta omnia non obseruabantur, quia Sancti eo tempore, vt plurimum martyrio erant insigniti, in quibus canonizandis tot examinanda non videbantur, vt infra ostendemus. Huc etiam accedit, quòd ex fidei feruore, atque Christi Domini meritis, ait Viguerius, miracula & alia opera maiorem in modum erant euidentia, quæ idcirco aliqua tergiuersatione occultari non poterant. Nunc vero, & sapienter quidem, dum aliquis in Sanctorum numerum est referendus, omnia ad hanc rem præstandam necessaria inter doctissimos ac pijssimos Viros diligenter examinantur, atque hanc ob causam multi sanè conuentus haberi solent, tresq. Rotæ Auditores, iuris peritissimi, tanquam Iudices integerrimi à Summo Pontifice deliguntur, vt acta omnia de Viro canonizando allata cognoscant, atque expendant in primis, an rite præstita, & an legitima sint testimonia, siue ad probationes idonea.

Postea vero quàm omnibus hisce de rebus inter Iudices disceptatum est, omnia ad Summum Pontificem refe-

referuntur, deinde à tribus S. R. E. Cardinalibus ad hoc negotium præsertim delectis recensentur, & explicantur. Postremo ab ijsdem Cardinalibus, quorum primus est Episcopus Cardinalis, Secundus Cardinalis Presbyter, Tertius Cardinalis Diaconus, necnon ab alijs è sacra Rituum Congregatione Cardinalibus omnia diligenter recognoscuntur & maturissime iudicantur. His rite tandem, sed longo post tempore, omni ex parte examinatis & absolutis, tria in primis Consistoria ad hanc rem perficiendam celebrari solent; quorum primum, Secretum, alterum Publicum, tertium Semipublicum appellant.

De tribus Consistorijs, quæ pro celebranda Canonizatione fieri solent. Cap. XXXVII.

De Consistorio Primo.

IN primo Consistorio, quod Secretum vocant, vnus ex tribus Cardinalibus delegatis Iudicibus in Congregatione antiquior, siue primarius, orationem habet, in qua de Viri canonizandi vitæ sanctitate, fideiq. integritate (qua in re totius negotij summa consistit) necnon de laudabili eiusdem obitu, deq. miraculis siue in vita, siue in morte factis verba facit: Iis omnibus recitatis, Cardinales sententias rogantur, num in ijs, quæ ad Canonizationem pertinent, sit vlterius progrediendum. Postremo iuxta Cardinalium consilium & assensum, quid hac in re faciendum sit, decerni solet. *Consistorium Secretum.*

De Consistorio Secundo.

IN secundo Consistorio, quod Publicum appellatur, Aduocatus consistorialis orationem habet, in *Consistorium Publicum.*

qua

qua vel alicuius Regis aut Principis, qui Virum illum canonizandum curat, ardentissimum, ac perpetuum desiderium cum Christiano zelo coniunctum egregie commendatur, eiusdem Viri canonizandi sanctimonia; admirabiles virtutum progressiones, & miracula præsertim insignia enarrantur. In peroratione autem vel Regis ac Regni, seu Principis ac Prouinciæ, necnon Ciuitatis nomine postulatur, vt Vir ille, tantopere in sanctitate vitæ laudatus, in Sanctorum numerum referatur. Tum demum Secretarius Apostolicus ex præscripto Summi Pontificis respondet, Christianamq. postulantis pietatem, diuturnamq. rei tam piæ postulationem laudat, ac tandem propensam Papæ in eo canonizando voluntatem declarat: sed huius generis negotium tam graue, tamq. arduum, cuiusmodi est Sancti alicuius Canonizatio, maturius ac diligentius considerandum esse ostendit. Hinc sacrum denique Cardinalium Collegium, Patriarchas item, Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates hortatur, vt in eam tanti ponderis rem pro suffragijs ferendis toto mentis conatu incumbant, ac Deum in primis orent, vt Sanctitatis suæ mentem lumine diuino illustret, quo rectius actionem tantam dirigat, tum ad ipsius Dei gloriam, tum etiam ad Ecclesiæ sanctæ amplitudinem, Christianæq. pietatis fructus vberrimos.

De Consistorio Tertio.

Consistorium Semipublicum. Lib. caeremoniarii lib. 1. sect. 6. cap. 1.

IN tertio Consistorio, quod Semipublicum nuncupatur, suffragia feruntur, num ille, de quo agitur, in Sanctorum numerum sit referendus. Ad hoc Consistorium non solum S. R. E. Cardinales, verum etiam Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates pro suffragijs ferendis acciti conueniunt. Protonotarij Apostolici eidem Consistorio intersunt ad fidem circa ea,

quæ

quæ ibi decernuntur, exhibendam. Auditores autem Rotæ, & præſertim illi, quibus cura iudicandi Proceſſum in rem tantam præſtitum, demandata fuit, ad idem Conſiſtorium admittuntur, vt, ſi in proceſſu aliqua oriretur controuerſia vel difficultas, eam explicent, ac declarent. Antea verò quàm ſuffragia ferantur, Summus Pontifex è ſolio ſuo habet orationem, in qua de re ad tam grauem, tamq. arduam actionem pertinente, verba facit: deinde pro Sancto canonizando ſententias dici iubet: tum ſuo quique ſtatim ordine ſententias dicunt.

De ſuffragijs pro Canonizatione in Conſiſtorio Semipublico ferendis.

QVamuis autem diuerſi diuerſa argumentorum genera in dicendo adhibeant, vt ex varijs ſuffragijs, quæ olim me legiſſe memini, colligi poteſt; omnes tamen, ſi Canonizatio celebranda ſit, eò deueniunt, vt illum, de quo agitur, ob admirabilem vitæ innocentiam, catholica fide vbique ac ſemper præuia, perpetuisq. tum charitatis, tum Chriſtianæ humilitatis operibus & exemplis, inſignibusq. atque euidentiſſimis miraculis, vel ſcientiæ, aut prophetiæ donis, multiplici & idonea atteſtatione, hoc eſt, per teſtes & conteſtes affirmatis, omniq. tamdem chriſtianarum virtutum genere comprobatam, & illuſtratam, Sanctorum Catalogo adſcribendum, ac Sanctum in cælo viuere, Deiq. viſione frui declarandum eſſe concludant; vti fuſius alibi dictum fuit. Pro hac re præſtanda, vt aliquod huiuſce ſuffragij exemplar in medium afferam, omnia, quæ Canonizationem in primis admittere ſolent, vna tantum periodo per Figuram Hyperbaſim, aut Hyperbaton concludam in hanc verborum formam:

Suffragiorũ forma.

Cap 8. & 33.

Inno-

Innocentia Vitæ (Beatissime Pater) catholica fide dictis, & factis prauia; Virtutibus, & Christianis exemplis, pijsq. operibus per longam annorum seriem, ad finem vsque vitæ numquam interruptam comprobata; Necnon miraculis in vita, & post mortem (quod magis refert) diuinitus illustrata; diligentiq. tandem præstito, ac non semel omnibus hisce de rebus repetito examine confirmata per temporum diuturnitatem, quæ est magistra, & mater, atque lucerna veritatis, facile ostendit Beatum N. N. vel Beatam N. N. in Cælo esse diuina gloria perfruentem, & in Sanctorum, vel Sanctarum referendum, vel referendam esse omnino demonstrat, ac declarat.

Hæc de suffragio ferendo, ad Canonizationem pertinente, ac breuiter quidem per figuram Hyperbasim, qua Verbum, in hoc suffragio postremum, primo eiusdem suffragij redditur Nominatiuo, à quo cetera pendent. Quisque suo tamen arbitratu in suffragio ferendo forma vtetur iuxta rerum indigentiam, & opportunitatem. Hoc enim suffragium in Canonizatione sanctæ Franciscæ de Pontianis Romanæ omnibus rebus præcipuis ad Canonizationem pertinentibus refertum mihi ferre visum fuit.

Vbi verò primùm Romanus Pontifex singulorum sententias audiuit, certam Canonizationis diem decernere solet, ac locum; vel istuc ipsum propediem decernendum promittit, omnesq. tam Cardinales, quàm Prælatos cohortatur, vt orationibus, & ieiunijs, alijsq. pijs operibus operam nauent, Deum omnipotentem humillimè obsecrantes, vt de Canonizatione proposita, omniumq. sententijs comprobata, quid faciundum sit, sancti Spiritus doceat illustratione. Hæc de tribus Consistorijs ad Canonizationem Sanctorum celebrandam pertinentibus. Rebus hisce omnibus rite enarratis, nil aliud explicandum superest, quàm Canonizationis Decretum: cuius formam in eo pronunciando obseruari consuetam hoc loco apponere libet,

amplis-

amplissimo prius apparatu aliqua ex parte adumbratim, seu potius rudi quadam Minerua descripto; atque ijs, qui Canonizationi solent interesse, summatim commemoratis, & quasi exiguo penicillo delineatis.

De Apparatu, deq. ijs, qui Canonizationi interesse solent, necnon de Canonizationis Decreto. Cap. XXXVIII.

EO tandem die, Canonizationi dedicato, solemnissima processione aut supplicatione itur ad eam, in qua Canonizatio celebranda est, Basilicam aut Ecclesiam, suggesto seu tabulato amplissimo, pulcherrimèq. constructo; aulæis item, atque alijs ornamentorum generibus, necnon densissimis luminibus enitentem; solio denique Pontificio, aspectum præbente iucundissimum ac præclarissimum, Altariq. sacris rebus egregiè insignito mirum in modum condecoratam, ac splendescentem. *Apparatus descriptio.*

Huic solemnissimo tantæ celebritatis actui, non solum S.R.E. Cardinales in Vrbe commorantes interesse solent, sed etiam Principum Oratores aut Legati, magnusq. Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumq. Prælatorum numerus, necnon maxima, præter familiam Pontificiam, nobilium Virorum frequentia, & innumera hominũ omnis ordinis vtriusque sexus multitudo, vniuerso item tàm regulari, quàm sæculari Clero adstante, atque spectante. Postea nonnullis iam rebus pro Canonizatione celebranda præstitis, Canonizatio nomine alicuius Principis ter summopere, ac suppliciter, hoc est, vt aiunt, instanter, instantius, & instantissime postulatur; oratione item ad Deum pro diuino auxilio ad rem tantam efficiendam implorando, non semel directa; Deinde Summus Pontifex in solio sedens, sacris vestibus in- *Canonizationi qui-nam inter sint.*

dutus, & mitra insignitus, Canonizationis Decretum pronunciat grauissimis profectò, & maximè significantibus hisce verbis:

Canonizationis Decreti forma pro Sancto Confessore.

AD honorem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, gaudium & exultationem supernæ, ac triumphantis Hierusalem matris nostræ, & exaltationem Fidei Catholicæ, & Christianæ religionis augmentum, auctoritate eiusdem sanctæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, omniumq. Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana curia existentium consilio, & vnanimi consensu, matura deliberatione præhabita, summaq. diligentia ex maiorum institutis, etiam abundantius adhibita, Beatum N. N. (de cuius puritate fidei, excellentia vitæ, & miraculorum in vita, & in morte factorum claritate, nobis plenissime constat) decernimus Sanctorum Confessorum Catalogo adscribendum, prout nunc adscribimus, eumq. Sanctum à Fidelibus venerandum esse mandamus, Statuentes, vt ab vniuersali Ecclesia, anno quolibet, in die N. festum ipsius, & Officium sicuti pro vno Sancto Confessore tantum deuotè & solemniter celebrentur, vtq. in eius honorem, Ecclesiæ & Altaria, in quibus Deo sacrificia offerantur, erigi & fundari possint.

Dicta Decreti forma extat in sacrarum Vesperarum & cæremoniarum Libris, paucis quibusdam verbis in ea interiectis, quæ quamuis in Decreto, quod infra legitur, non sint; eumdem tamen sensum cum illo habent, sensumq. reddunt clariorem, magisq. apertum. Hinc formam quoque illam, in libro Vesperarum, at-

que item in Codice rituali, aut cæremoniarum Sacrarij Pontificij cum alia superiori conscriptam, hoc loco apponere libuit, vt infra:

Ad honorem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & exaltationem Fidei Catholicæ, ac Christianæ Religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, de Fratrum nostrorum consilio decernimus, & definimus, bonæ memoriæ N. N. Sanctum esse, & Sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumq. Catalogo huiusmodi adscribimus, Statuentes, vt ab vniuersali Ecclesia anno quolibet in die N. festum ipsius, & Officium sicut pro vno Confessore (si sit Confessor) *vel Martyre* (si sit Martyr) *deuotè, & solemniter celebrentur.*

Decreto pronunciato, Indulgentia visitantibus Ecclesiam & sepulchrum, vbi corpus Canonizati requiescit, dari solet: deinde Missa solemnissimo Ritu à summo Pontifice decantatur, multaq. item alia ante & post Decreti pronunciationem fiunt iuxta Ritum in sacrarum cæremoniarum Libro præscriptum: quæ sanè omnia breuitatis causa silentio prætereunda censentur. Reliquum est, vt quinam Canonizatis ex vi Decreti, necnon ex ipso Sanctorum iure honores debeantur, explicemus.

De septem honoribus, qui Canonizatis debentur.

CAnonizati Catalogo Sanctorum adscribuntur, hoc est, iubetur ac statuitur, vt ab omnibus publicè colantur, ac dicantur Sancti. I.

Canonizati in publicis Ecclesiæ precibus inuocantur. II.

Templa & Aræ Deo in eorum memoriam & honorem eriguntur. III.

Sacrificia tàm sacrosanctæ Eucharistiæ, quàm laudum & precum (quod passim Officium, siue Horæ IV.

canonicæ nuncupatur) Deo in honorem eorumdem publicè offeruntur.

V. Dies festi in eorumdem honorem celebrantur.

VI. Imagines eorumdem pinguntur, addito certo quodam lumine in signum gloriæ. quam habent in cælo.

VII. Eorumdem Canonizatorum reliquiæ, pretiosis thecis inclusæ, publicè in Ecclesia honorantur.

To. 1. Controu. lib. 1 de Beat. SS c. 7. & 10. Hæc de Canonizatione Sanctorum, necnon de honoribus, qui Canonizatis debentur, & à Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinale in primo de Beatitudine Sanctorum libro enarrantur, vbi etiam Sanctos nondum canonizatos cultu non publico, sed priuato coli posse, rationibus atque exemplis probatur. *Lib. 3. tit. 45. cap. 1.* Id quod ex eo item, quod in tertio Decretalium libro de Reliquijs ac veneratione Sanctorum legitur, colligi potest: ibi enim Alexander III. dum publicum nondum Canonizatis cultum exhiberi prohibet; priuatum permittere censetur, sicut etiam Doctores eo in loco affirmant. Cultus vero publicus non est ille, qui coram alijs exhibetur, sed qui totius Ecclesiæ nomine, ac tamquam ab Ecclesia institutus exhibetur.

Quamuis autem Sanctos nondum canonizatos credere & vocare Sanctos liceat, eos tamen tamquam Sanctos ab Ecclesia Catalogo Sanctorum adscriptos prædicare non licet. Tametsi nonnulli honores nuper commemorati ijsdem nondum Canonizatis priuatim exhiberi possunt, tertius tamen & quartus eis nullo modo dari posse videntur: Templa enim, Altaria, & Sacrificia ex sui natura sunt publici cultus; propterea quòd nullum Sacrificium in Ecclesia est, nisi commune, & à Deo ipso institutum: Templa vero & Altaria ad Sacrificium referuntur. Hæc ex Bellarmino.

Quamuis denique Sanctos nondum Canonizatos priuatim inuocare liceat, in Litanijs tamen publicis non licet, nec etiam in sacro Officio, nisi id à Summo

Pon-

Pontifice expressè concedatur, sicut de sancto Hyacintho, à Clemente VII. & de sancto Raymundo à Paulo III. necnon de alijs factum esse constat: immo Clemens VII. Sigismundo Poloniæ Rege suppliciter postulante, concessit, vt in Ecclesijs ex instituto sancti Dominici, ac etiam in Cathedralibus eiusdem tantum Regni non solum diuinum Officium, verum etiam Missæ sacrum in memoriam sancti Hyacinthi, necnon festus dies celebrari, eiusq. Imagines dipingi possent; hac tamen lege, vt ipse B. Hyacinthus ob dictam concessionem neque canonizatus, neque Catalogo Sanctorum adscriptus censeretur. Quæ sanè concessio quamdam (vt ita dicam) semicanonizationem adumbrare vix potest, quippe quæ vniuersali Ecclesiæ data non fuit.

Lib. 3. c. 31. & 32. de vita & canoniza. S. Hyacinthi.

Hæc de Sanctis nondum canonizatis, atque de ijs, qui in Sanctorum numerum sunt referendi. Nunc reliquum est, vt sermonem habeamus de Romani Pontificis aut Ecclesiæ Catholicæ in Sanctis canonizandis infallibili certitudine: qua tandem re tam pia, tam vtili, tamq. fidei catholicæ necessaria, nostrum de Canonizatione Sanctorum Commentarium concludemus, eademq. re, tamquam Ecclesiæ catholicæ anulo, seu sigillo obsignatum, Deo fauente, reddemus.

De Romani Pontificis, seu Ecclesiæ Catholicæ infallibilitate, quæ sanctam Dei Ecclesiam in Sanctorum Canonizatione, quæ est quædam fidei protestatio, & professio, nullo modo errare posse, probatur. Cap. XXXIX.

MVlti de Romani Pontificis, aut Ecclesiæ Catholicæ in canonizatione Sanctorum infallibili certitudine scripserunt. Sed quia Canonizatio testimonijs humanis, & quidem fallibilibus innititur, ac fulcitur; ideo diuersi diuersa senserunt,

Pro hac re vide Ant. Cordubensem lib. 4 pag. 317.

Thomas Vualdensis to. 3. de Sacramentalibus c. 122. to. 14.

runt, hanc tamen conclusionem, Romanum scilicet Pontificem in Canonizatione Sanctorum nullo modo errare posse, statuentes & omnino affirmantes. Contra hæreticos, qui hanc infallibilitatem negant, Thomas Vualdensis vir doctissimus, ac de Christiana Religione optime meritus, disputat, & infallibilem certitudinem omnino probat ac demonstrat. Nos itaque varias primum hac in re opiniones in medium afferemus, & quidem breuiter; potiorem deinde ac veriorem sententiam, statuendo, aperiemus; tres postremo loco nodos, qui veritati aduersari videntur, explicabimus.

Augustini Triumphi opinio.

Aug. Triumph. q. 14. ar. 4.

AVgustinus Triumphus in libro de Potestate Ecclesiastica, dum de Romani Pontificis in canonizando infallibilitate loquitur, eum errare in Canonizatione non posse concludit. Papa enim (inquit ipse) dum aliquem secundum præsentem iustitiam pro Sancto canonizat, habens pro teste operum exteriorum euidentiam, errare non potest: quia iuxta allegata, sibiq. probata ipsum canonizatum credit esse Sanctum ac talem esse declarat, Sancti Patris Augustini doctrina persuasus, dicentis: *Qui sic credit, vt loquitur, etiamsi falsa loquatur, fideliter loquitur: qui autem non credit quæ loquitur, etiamsi vera loquatur, infideliter loquitur.* Huic statim Augustini sententiæ talia Triumphus verba subiungit: *Quantumcumque ergo non vera approbet canonizando, vel approbando aliquem Sanctum; ex quo fideliter & vere approbat secundum informationem sibi factam, non errat.* Hæc Triumphus, qui alio in loco, dum disputat, an omnes à Papa canonizati, sint in vita æterna, eamdem tuetur opinionem dicens: *Per certitudinem causæ non potest Ecclesia scire omnes, quos pro Sanctis canonizat, & solemnizat, esse in vita æterna.* Et infra ad primum argumentum:

Aug. Epi 33 ad Seuerũ Abbatẽ to. 2.

Aug. Triumph q. 14. art. 4. in fi. corp.

Aug. Triumph. q. 17. art. 4. in corp & ad primũ arg.

tum: *Ecclesia non errat canonizando aliquos Sanctos, quia non canonizat eos esse Sanctos iudicio diuino secundum determinatiuam sententiam: sed iudicio humano secundum præsentem iustitiam*, (hoc est iuxta allegata & probata) *secundum quem modum Sancti sunt, hominum reputatione & veneratione*. Et alibi ait: *Papa ergo canonizando aliquem Sanctum secundum præsentem iustitiam non errat: Quia sic credit eum esse Sanctum, vt informationem recipit secundum allegata, & probata sibi*. Hucusque Triumphus, cuius opinio tanto viro non minus pio quàm docto, etsi doctissimo, digna non videtur, quippe quæ Romani Pontificis, & Ecclesiæ Catholicæ, vt sic dixerim, infallibilitati aut certitudini, Sanctorumq. canonizationi plurimum derogare videtur. *Aug. Triumph. q. 14. art. 4.*

Sancti Thomæ opinio.

SAnctus Thomas, Doctor Angelicus, eo in loco, in quo disputat, num omnes ab Ecclesia canonizati, sint in gloria, vel aliqui eorum in inferno; tria actionum genera à Romano Pontifice præstari scribit: quorum vnum ad Ecclesiam, inquit, vniuersalem pertinet, atque ex ijs est, quæ ad fidem attinent, in quibus fieri nullo modo potest, vt iudicium Ecclesiæ vniuersalis errare queat, iuxta diuinam prouidentiam, & infallibile Saluatoris nostri promissum à Ioanne Euangelista hisce verbis enarratum: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, hoc est, vt omnes interpretantur, in necessariis rebus, quæ ad salutem & fidem pertinent. Hinc S. Thomas magis Papæ, ad quem determinatio fidei attinet, quàm cuilibet sapienti in scripturarum opinionibus, credendum esse ait exemplo Cayphæ, qui quamuis homo scelestus, ob Pontificatum tamen, Euangelista Ioanne attestante, inscius prophetasse narratur. *S. Thom. Quo lib. ix. art. 16.* *Ioan. 16.* *Ioan. 11.*

Alte-

Alterum Pontificiæ actionis genus, in possessionibus aut criminibus, alijsq. id genus rebus iudicandis versatur, in quibus, vt ait S. Thomas, iudicium Ecclesiæ ob falsas hominum attestationes errare potest.

Inter duo prædicta actionum genera Doctor medium Canonizationi locum adscribit. Quamuis enim sanctus Paulus ad Corinthios scribens, dicat: *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Et infra: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum*: Et in Ecclesiaste: *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit*; Ecclesia tamen in Canonizatione Sanctorum errare non potest, quia de statu alicuius certior fieri potest, non solum per inquisitionem vitæ, atque miraculorum attestationem, sed etiam, & quidem præcipuè, per diuinum Spiritus sancti instinctum, qui omnia, etiam profunda Dei scrutatur, cuius item prouidentia fit, vt Ecclesia sancta Dei fallibili hominum testimonio in Canonizatione falli non possit. Hæc ex Doctore Angelico, qui suam opinionem concludit hisce verbis: *Canonizatio Sanctorum medium est inter illa duo: quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quadam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credamus, pie credendum est, quòd nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit.* Hæc sanctus Thomas.

1. Cor. 2. *1. Cor. 4.* *Eccl. 9.* *S. Thom. Quolib. ix. ar. 16.*

Opinio Sancti Thomæ declaratur.

QVamuis Doctor Angelicus Romanum Pontificem aut Ecclesiam Catholicam in Canonizatione Sanctorum errare non posse doceat: idq. piè credendum esse dicat; ego tamen ex eiusdem Sancti doctrina istuc ipsum non solum piè, sed necessario credendum esse censeo. Si quis enim à Romano Pontifice pro Sancto piè solum, non certò, hoc est probabiliter, & non infallibiliter in cælo esse crederetur, Ecclesia

clesia Catholica illum nobis colendum, precibusq. orandum, nostrumq. intercessorem habendum haudquaquam proponeret, sicut factum esse constat. Id quod Sanctus Thomas, qui Canonizationem, fidei professionem quamdam, qua gloriam Sanctorum ac vitam æternam profitemur & prædicamus, esse ait, intellexisse (vt opinor) visus est.

Pro hac re confirmanda, silentio prætereundum non videtur quod Petrus Galesinius, Protonotarius Apostolicus in suo de Canonizatione Sancti Didaci Complutensis Commentario scriptum reliquit, dum de præstantissima Syxti V. felicis ac sanctæ recordationis concione in Consistorio semipublico coram S.R.E. Cardinalibus & Prælatis sententiam aut suffragium de Beato Didaco in Sanctorum numerum adscribendo laturis, mentionem fecit in hanc verborum formam: Qua in concione à rei, quæ agebatur, magnitudine exorsus, primò de potestate Summi Pontificis, auctoritateq. Ecclesiæ, quæ à Deo tradita est, illuminatè, diuinèq. dixit: tum demonstrauit & sacris litteris, & rationibus ex intima Theologia depromptis, omniq. argumentorum genere, Romanum Pontificem, verum successorem Beati Petri Apostolorum Principis, pro quo orauit Christus Dominus, ne eius fides deficeret, *Luca 22.* eumdemq. verum caput Ecclesiæ, quæ est firmamentum & columna veritatis, quæq. à Spiritu sancto regitur, ac gubernatur, in Sanctorum Canonizatione errare & falli non posse. Idq. non modo piè, sed necessariò, & certissima fide credendum affirmauit omnibus summis rationibus diuinitus in medium allatis: cum illud etiam perspicuè manifestum sit, Ecclesiæ, Pontificisve decreta, & certa & firma esse, quæ ad fidem, aut morum disciplinam pertinent, cum certis & firmis principijs, fundamentisve innitantur. Hæc ad verbum Galesinius, cuius opera Syxtus V. in rebus Ecclesiasti-

cis, & quidem grauioribus, inter alios à ſecretis Viros vti non raro ſolebat.

Piè igitur, vt Doctoris Angelici explicetur dictum, hoc eſt pietate fidei, ſeu pia & firma fide ac neceſſariò credendum eſt, Eccleſiam in Canonizatione Sanctorum nec fallere, nec falli poſſe: immo eius oppoſitum non ſolum ſine temeritate, ſed etiam, vt ait M. F. Gregorius Nunnius Luſitanus, Vir ſanè doctus & pius, non ſine maxima impietate, quæ, meô quidem iudicio, hæreſim ſapit, poſſe affirmari omnino credendum cenſetur. Hinc Melchior Canus, eos, qui Eccleſiam in Canonizatione Sanctorum errare poſſe dicerent, non hæreticos quidem, ſed temerarios, impudentes, & irreligioſos nominat, & ab Eccleſia puniendos eſſe affirmat: quia ſicut iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre; ita & multo quidem maiorem Martyri infert iniuriam qui Martyrem Catalogo adſcriptum è Sanctorum numero reijcit. Immo (ait Canus) ſi vnum aliquod huius generis decretum in dubium reuocare liceret; certè (inquit ipſe) Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, & reliquorum ſanctitas in quæſtionem ſine crimine reuocari poſſet: valdeq. abſurdum non foret, ſi cultus omnium Sanctorum, qui poſt Clementem conſecrati ſunt, ab Eccleſia exploderetur. Quo nihil ſtultius, aut impudentius dici poteſt. Ne igitur tantus error in Eccleſia inter Sanctos canonizandos naſcatur, Deus peculiariter prouidere credendus eſt: cuius peculiariſſimæ prouidentiæ abunde magnum argumentum eſt, quòd fides, ab humanis teſtibus ſemel in huiuſmodi iudicijs ſuſcepta, numquam infirmata eſt. Hæc à Cano non minus eleganter, quàm docte, etſi doctiſſime in quinto de Auctoritate Conciliorum libro hinc inde ſcripta, & à me hunc in locum fideliter congeſta.

Greg. Nũnius lib. 3. de opt. Reip. ſtatu cap. 11. §. Ex his to. 1.

Lib. 5. c. 5. q. 2. cõcl. 3

S. Augu. ſermone 17. de verbis Apoſt. to. 10. Et de celebr. Miſſ. c. 6. Cũ Mart. lib. 3. Decretal. tit. 41.

Canus vbi ſupra.

Sanctorum Ordo I.

Ioannes Driedo in libro de dogmatibus varijs, & libris apocryphis quarto, tres Sanctorum Classes enumerat: in quarum prima Sancti tàm veteris, quàm noui Testamenti recensentur, hoc est, Abel, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, & ceteri Patriarchæ multi & Prophetæ; Ioannes item Baptista, Stephanus, Apostoli duodecim, Latro etiam in cruce moriens, cui dixit Christus: *Hodie mecum eris in Paradiso*; Paulus quoque, ac multi alij iam in cælo viuentes, de quibus in Scriptura sacra fit mentio. Classis huiusce Sanctos (inquit Driedo) in cælo viuere ac regnare credendum est ea fide, qua credimus ceteris fidei articulis in Scriptura sacra expressis. Si quis autem eos in cælo viuere non crederet, aut dubitaret, is profecto hæreticus censendus foret, quia de Scripturæ Canonicæ auctoritate dubitaret, nosq. ab ea falli posse crederet. Id quod hæresis omnino est. In hac eadem Classe adde item Sanctos Innocentes in Scriptura sacra; præsertim verò in Euangelio inter Martyres connumeratos, necnon ab Ecclesia in Litanijs ante Sanctum Stephanum Protomartyrem inuocatos, sed post Sanctum Stephanum solemniter, quantum ad Festiuitatem, celebratos: quia tametsi ante Sanctum Stephanum Innocentes ipsi non loquendo, sed moriendo confessi sunt; Sanctus autem Stephanus post Christi glorificationem, Sancti tamen Innocentes ante Christi Passionem, & glorificationem Martyrium passi fuerunt. Hinc in festo die S. Stephani tam Canticum Angelorum, quàm Symbolum Apostolorum, & Alleluia in Missa; & in Matutino Symbolum Sanctorum Ambrosij, & Augustini recitantur; sed in Festo die Sanctorum Innocentum, non item: quia status Glorificationis statum Passionis excedit.

To. 1. c. 1. pag. 207. *Prima Classis.* *Eccl. 44.* *Hebr. 11.*

M 2 Sym-

Symbolum autem Apoſtolorum ratione Octauæ Natiuitatis Domini in die Sancti Stephani recitatur. Octaua enim Glorificationis aut fruitionis diuinæ diem in Cælo, æterna lætitia plenam, repræſentat. Propterea in Sanctorum Innocentum Octaua ad Miſſam Canticum Angelorum recitatur.

Sanctorum Ordo II.

Secunda Claſſis. In ſecunda Sanctorum Claſſe repoſitos Driedo inquit eſſe Sanctos illos, quorum laudabilis vita, & glorioſus exitus vniuerſam in toto terrarum orbe Eccleſiam illuſtrauit: è quorum numero, vt ego opinor, & ex Driedone colligitur, poſſunt eſſe illi, quorum memoria fit in ſacro Miſſæ Canone, & alij poſt editum Miſſæ Canonem permulti, quos eſſe Sanctos, nemo rationabiliter, vel ſine temeritatis & impietatis labe negare, aut dubitare poſſet. Si quis enim, quicumque ille ſit, Regum, Ducum, ſiue Principum, aut Philoſophorum res geſtas & hiſtorias toto terrarum orbe diffuſas, & diuulgatas negaret, ſtupidus ac temerarius, & merito quidem, cenſeretur; quanto magis temerarius & impius (vt ait Driedo) iudicandus foret qui vniuerſalis Eccleſiæ iudicium iam olim tot Epiſcoporum, tot Doctorum, totq. hominum iuxta ſeriem ſucceſſionis ſuccedentium conſenſu firmatum negaret? Idcirco de his quòd ſint Sancti, credendum eſt, ſed non ſic (ait Driedo) ex reuelatione in Scripturis ſacris deſuper facta, ſicut de illis in prima Claſſe repoſitis.

Sanctorum Ordo III.

Tertia Claſſis. In tertia Sanctorum Claſſe ſunt illi, qui in diuerſis Regnis ac Prouincijs mirabili vitæ ſanctitate claruerunt, quorum item vita laudabilis & exitus glorioſus,

aut

aut in toto Regno, aut in tota Prouincia emicuit & innotuit. De his enim ad veram sanctitatem dignoscendam ex fidelium hominum testimonijs, alijsve indicijs Ecclesia sancta Canonizationis censuram adhibere consueuit.

Quamuis autem (inquit Driedo) non oporteat nos omnium horum sanctitatem tam firma, tamq. immobili fide credere, quàm credimus sanctitatem eorum, qui in canonicis Scripturis describuntur, eorum tamen sanctitas sine temeritate stupiditatem aut amentiam præseferente, negari non posset; hunc tamen temerarium & amentem Driedo hæreticum non iudicandum esse ait. Hæc ex Driedone varia eruditione non mediocriter exculto.

M. F. Dominicus Bañes, Vir sanè doctissimus ac pijssimus, in suis de Fide, Spe, & Charitate Commentarijs scholasticis, de Canonizatione Sanctorum à Romano Pontifice, seu à Concilio præstita, sine hæresis suspicione dubitari non posse inquit in hanc verborum formam: Temerarium est valde, & scandalosum, & hæresim sapit, dicere, quòd Papa, aut Concilium possit errare in Canonizatione Sanctorum. Immo ad finem dubitationis ait: Nemo nisi amens, aut hæreticus credendus est, qui dubitaret, an Sanctus canonizatus sit in cælo, cum huiusmodi auctoritas canonizandi vtatur tot tantisq. hominum fide dignissimorum testimonijs, insuper & miraculis. Merito ergo qui de ipso Sancto dubitat, in suspicionem hæresis venit, atque hæresim sapit. Hucusque Bañes, conclusione ipsa summis iam rationibus, quas breuitatis causa silentio prætermittemus, comprobata. Quamuis autem antiquiores Doctores, veluti S. Thomas & alij, piè credendum esse, Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum errare non posse dicant; recentiores tamen Theologi ob hæresim (inquit Bañes) proximis temporibus

Bañes in secundam secũdæ S. Tho. q. 1. art. 10. Dub. 7.

S. Thom. Quodlib. 6. art. 16. B. Anton. 3. p. ti. 12. cap. 8. Caiet. de Indulg. ad Iul. cap. 8.

ribus

ribus ortam illorum, qui eius auctoritatem, & infallibilitatem in Canonizatione Sanctorum irridebant, & negabant; merito decernunt, hæresim sapere Luteranorum, asserere Ecclesiam in alicuius Canonizatione falsam fuisse, etiamsi auctoritas canonizandi non negetur. Hæc Bañes ad verbum.

In Canonizatione itaque Sanctorum Ecclesiam nec errare, nec falli posse non solum piè, sed necessariò & certissima fide credendum, affirmandumq. omnino est, ob assistentiam Spiritus sancti à Christo Domino pro-
Ioan. 16. missam apud Ioannem Euangelistam hisce verbis: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, in rebus scilicet, vti diximus, necessarijs, quæ ad salutem & fidem pertinent. Quæ sanè promissio ijs etiam confirmatur verbis, quæ Christus Dominus ipsi Petro di-
Lucæ 22. xit: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.*

Quamuis autem Petrus ad horam, non ad extremum vsque vitæ finem, vel, vt sic dixerim, finaliter defecerit, ipsa tamen Lucæ auctoritas non solum ex ipsis Christi Domini verbis, sed ex Sanctorum item Patrum, ac Doctorum explicationibus de personali
Io. de Turrecrem. li. 2. summæ de Eccl. 102 ad primum arg. & ad 6. Petri fide, non autem de fide aliorum Pontificum personali, vt ait Ioannes de Turrecremata, intelligi debet: hoc est, de Petri fide personali, in vtilitatem tamen Ecclesiæ vniuersalis, & quatenus personalis Petri fides à personali ceterorum Pontificum fide distinguitur, vt infra, & fusius quidem, explicabimus: Romanus enim Pontifex (inquit ipse de Turrecremata) non in gratijs & prærogatiuis personalibus Beato Petro succedit, sed in Sede & officio Pontificatus, atque ex consequenti in priuilegijs Pontificiæ sedis & officij. Hinc quamuis Romani Pontificis personam in ijs, quæ ad fidem pertinent, errare posse, aut malè opinari (ait Turrecremata) contingeret; admitti tamen

men

men nullo modo poteſt, vt Romanus Pontifex in ſententia ferenda, ſiue in iudicando, vel, vt aiunt, iudicialiter procedendo in ijs, quæ ad fidem attinent, errare poſſit: quia aſſiſtentia Spiritus ſancti à Chriſto promiſſa non perſonam Papæ, ſed officium, aut ſedem Pontificiam reſpicit; ob idq. opinio ad perſonam, iudicium vero ad officium, aut ad ſedem Pontificiam pertinet. Si quis autem vnquam Romanus Pontifex (quòd Deus auertat) hæreticus efficeretur; ille, vt Ioanni de Turrecremata placet, vbi primum à Chriſti fide cadit, ab eiuſdem Cathedra & ſede cadit; hinc illud hæretici iudicium; Apoſtolicæ Sedis iudicium non foret, neque vllius auctoritatis aut momenti eſſet. Hæc ex Ioanne de Turrecremata.

Ioan. de Turrecre. vbi ſup. Et cap. Si Papa diſt. 40.

Sunt autem qui huius generis caſum euenire non poſſe velint: illud enim contra fidem iudicium, aut morte intercedente, aut aliena inſtructione, ſeu interna inſpiratione, aut Chriſtifidelium oppugnatione, ſiue alio quouis modo iuxta placitum diuinæ voluntatis, à Deo prohibitum iri affirmant; idq. exemplo Balaam, Cayphæ, & Anaſtaſij Papæ comprobant. Balaam namque, Propheta malus, Iudæorum Populo iam benedicto maledicturus, iuſſu Dei benedixit. Cayphas etſi ſceleſtus; ob Pontificiam tamen dignitatem inſcius prophetauit. Anaſtaſius huius nominis ſecundus, dum Acacium hæreſiarcham reuocare tentaret, diuino nutu percuſſus interijt, vt ait Gratianus: cuius opinio à Couarruuia in libro variarum reſolutionum tamquam fabuloſa confutatur: conſtat enim Acacium vita functum ſub Felice III. cui ſucceſſit Gelaſius Primus, & huic Anaſtaſius Secundus. Adde etiam quòd Anaſtaſius Acacij memoriam ab Eccleſia Catholica delendam curauit, vt in Epiſtola eiuſdem Anaſtaſij prima ad Anaſtaſium huius nominis primum Imperatorem videre licet. Quæ igitur de Anaſtaſij Papæ errore atque punitione

Ioan. Turrecrem. vbi ſup. ad 7.

Num. 22. 23. 24.

Ioan. 11.

Gratianus Decr. p. 1. diſt. 19. c. Anaſtaſius.

Couarr. lib. 4. c. 13 to. 2. Et in Annot. ad eumdem textum.

Anaſtaſij factum declaratur.

nitione dicuntur à Gratiano, ex quo Platina, Volaterranus & alij eamdem fabulam mutuò acceperunt, mera commenta esse ait Couarruuias, cui Cæsar Baronius S. R. E. Cardinalis assentitur, dum Acacium sub Felice III. obijsse, & Anastasium Papam, integrum ac sincerum in Catholica fide permansisse, atque catholicum ex hac luce decessisse, narrat. Ecclesiæ igitur sanctæ Dei, iudicium in ijs, quæ ad fidem pertinent, & in Canonizatione præsertim, quæ est quædam fidei protestatio, errare nullo modo potest. Id quod non solum piè, sed etiam necessariò credendum iure censetur. Quamuis autem ijs in rebus, quæ sunt facti, siue in ijs iudicijs, quæ ad particularia facta pertinent, Romanum Pontificem errare posse inficias ire non queam, illud tamen in aliquo Sancto canonizando iudicium, ex eo iudiciorum genere non est, quod ad priuatum hominem, sed ad vniuersalem Ecclesiæ statum attinet; cum inter Sanctos relatio, vti non semel diximus, sit quædam fidei professio aut protestatio, qua gloriam & æternam vitam Sanctorum credimus, & prædicamus. Nunc reliquum est, vt ceteros nodos de Pontificia canonizandi infallibilitate proponamus, propositosq. dissoluamus.

To 6. Annal. Anno Dom. 487 & 497.

Dubitatio prima.

De Catholicæ Ecclesiæ infallibilitate, siue infallibili certitudine in Canonizatione Sanctorum. Cap. XL.

Ecclesiæ Catholicæ infallibilitati, in ijs, quæ ad fidem pertinent, præsertim vero in Canonizatione Sanctorum aperte videtur aduersari ille in Decretalibus Textus, in quo hæc leguntur verba: *Iudicium Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contin-*

Lib. 5. Decretal. tit. 39. c. 28. de sent. ex com. cap. A nobis.

contingit, *& falli*. Qui ſane nodus quamuis veritati aper-
te refragari videatur; facillime tamen diſſoluitur, ſi ad 87. 88.
diſtinctionem actionum illam, quam nuper in medium
attulimus, confugiatur.

Dubitationis declaratio, & ſolutio.

ROmani Pontificis actionum tria genera eſſe dixi- 87. 88.
mus, quorum vnum propria priuatorum homi-
num facta reſpicit, quæ ſunt promotiones ad dignita- *Siluester*
tes, & gradus, beneficiorum collationes, & iudiciariæ *in verbo*
tàm contra aliquem, quàm pro aliquo ſententiæ, idq. *Canoniza-tio nu. 2.*
genus alia, in quibus infallibile iudicium dari non po-
teſt: quia tàm Iudex, quàm Conſiliarij, necnon teſtes
inordinata quadam animi affectione atque commotio-
ne affici queunt. His itaque, alijsq. de rebus, hoc eſt,
ob fallacias, ſeu falſas probationes, aut atteſtationes à
recto & vero ſenſu in iudicando declinari poteſt; ideo
in textu commemorato hæc ſtatim ſequuntur verba:
Propter quod contingit interdum, vt qui ligatus eſt apud Deum, *Lib. 5. De-*
apud Eccleſiam ſit ſolutus: & qui liber eſt apud Deum, Eccle- *cretal. vbi ſupra.*
ſiaſtica ſit ſententia, innodatus. Huc igitur ſpectat textus
ille nuper commemoratus, quem ceteris Romani Pon-
tificis, aut Eccleſiæ Catholicæ actionibus nullo modo
conuenire dicendum eſt.

Quædam alia ſunt, quæ non propria priuatorum
hominum facta, nec Papæ perſonam, ſed ſtatum to-
tius Eccleſiæ vniuerſalem reſpiciunt, cuiuſmodi ſunt
ea, quæ ad fidem attinent, è quorum numero ſunt,
ait Silueſter, determinationes circa ea, quæ ſunt fidei; *Siluester*
vel declarationes, quæ ad fidei articulos, & ad Eccle- *vbi ſupra.*
ſiæ ſacramenta pertinent; vel quantum ad ea omnia,
quæ in ſacra Scriptura continentur; vel quantum ad
bonos mores, veluti ſunt etiam Decreta & Decreta-
les, in quibus Romanus Pontifex, diuina prouidentia

præuia, quæ Ecclesiæ suæ sanctæ prouidere semper so-
Siluester ubi supra. Io. Neap. Quodlib. xi. let, errare nullo modo potest: immò, vt ait Siluester cum alijs Canonistis ac Theologis, qui crederet dictis in rebus Ecclesiam errare posse, ab hæreseos labe alienus non esset.

Cum igitur Canonizatio, quæ est quædam fidei professio, ad hoc actionum genus pertineat, quia per eam Sancti declarantur, & vt exemplar fidei ac sanctæ vitæ in nostris necessitatibus inuocandi proponuntur; in ea actione Romanus Pontifex errare nullo modo potest: tunc enim probationes & attestationes humanæ, falsæ esse non queunt, quia sumuntur tamquam causa (vt aiunt) sine qua non, cum ratio Canonizationis præcipua sit assistentia Spiritus sancti, quæ in huiusmodi re tam ardua, tamq. necessaria, ita Romano Pontifici, seu Ecclesiæ Catholicæ adhæret, vt errare non valeat, tanto vniuersalis Ecclesiæ bono perspecto, diuinoq. præsertim Saluatoris nostri promisso ac-
Ioan. 16. cedente: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, saluti videlicet ac fidei necessariam. Et:
Luca 22. *Ego rogaui pro te* (Petre) *vt non deficiat fides tua*; quasi dixerit, etsi ad horam, non tamen ad finem, vel, vt
Io de Turrecrem. li. 2. summa c. 112 ad secundũ. Io. Vigue. de virt fid. v. 3. nu. 103. aiunt, finaliter deficiat. Quando enim, vt ait Turrecremata, Christus orauit pro fide Petri, orauit pro fide Ecclesiæ suæ, cui Petrus tamquam Princeps & caput præesse debebat. Viguerius autem Ioannem à Turrecremata & alios Canonistas ac Theologos sequutus, ait Christum non orasse pro fide Petri, vt priuata persona erat, hoc est, pro fide Petri tantum personali, sed pro fide Petri, hoc est Petri & Ecclesiæ, quæ vniuersalis est: nec pro fide (vt ait Viguerius) aliorum Apostolorum, hoc est; pro Sedibus & Ecclesijs alio-
Io. Turrecrem. vbi sup. ad primũ in fin. rum Apostolorum, siue pro Successorum eorumdem Sedibus & Ecclesiis, quas aliquando errasse ac defecisse, solamq. Petri Sedem, hoc est, Ecclesiam Roma-

nam

nam immaculatam ſemper fuiſſe iuxta infallibilem Saluatoris Domini promiſſionem fatendum eſt.

Quòd autem Beati Lucæ Euangeliſtæ auctoritas nuper commemorata, ſiue Chriſti Domini promiſſio Petro præſtita, de Eccleſia Catholica Romana, quatenus ab alijs Eccleſijs diſtinguitur, intelligenda ſit; Cyrillus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Bernardus, Anſelmus, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, & alij, præter etiam Leonem I. & Agathonem, ſummos Pontifices, vno id conſenſu affirmant: quorum verba breuitatis cauſa ſilentio prætermittenda cenſeo.

Ex ea itaque Chriſti promiſſione Petro præſtita: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos*; duo in Petro, ait F. Gregorius Nunnius, peculiariter ſeſe nobis offerunt conſideranda, quorum alterum ad priuatam hominis perſonam; alterum vero ad communem Eccleſiæ vtilitatem pertinet. Quòd enim Petrus Chriſtum negauerit, hominis; quòd autem conuerſus, confirmauerit fratres, Eccleſiæ erat; illud proprium, hoc autem commune. Ita etiam quòd fides, quam Petrus peculiariter habebat, ſit interius ſeruata, hoc ei tributum fuit: quòd autem ſinceram fratribus fidem, ne Eccleſia in iudicio deficeret vnquam, præbuerit, Eccleſiæ priuilegium fuit. *Ego* (inquit Chriſtus) *rogaui pro te* (Petre) *vt non deficiat fides tua*; Ecce Petri fidei firmitudinem conceſſam; ſed in quem finem? in Eccleſiæ profecto vtilitatem, ijs verbis indicatam: *Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos*. Hæc ex Nunnio, qui plura ibidem in eamdem proſequitur ſententiam. Iudicium itaque Romani Pontificis, aut Eccleſiæ in ijs, quæ ad fidem pertinent, nec fallere nec falli poteſt. Quoniam vero huic veritati nonnulla Summorum Pontificum facta refragari videntur, ea explicare neceſſe eſt, vt huius generis ſcrupulus ab animo eorum, qui nodum,

Greg. Nũnius lib. 3. de opt. Reip. ſtatu c. 7.

vt prouerbio dici ſolet, in ſcirpo quærunt, penitus euellatur.

Dubitatio ſecunda.

De Catholicæ Eccleſiæ infallibilitate, ſiue infallibili certitudine in Canonizatione Sanctorum. Cap. XLI.

DVo ſunt Romanorum Pontificum exempla, quæ Catholicæ Eccleſiæ infallibili certitudini aduerſari videntur. Horum vnum ad Stephanum VII. quem dicunt VI. & ad Ioannem VIII. quem dicunt IX. alterum verò ad Nicolaum III. & Ioannem XXII. pertinent.

Dubitationis ſecundæ membrum 1.

Platina & Martinus hiſt. & alij.

Formoſi factū narratur.

QVod ad primum pertinet exemplum, Formoſus, vt Scriptores prodiderunt, dum eſſet Cardinalis, & Epiſcopus Portuenſis, omni Eccleſiaſtica dignitate priuatus, laicalibusq. indumentis indutus, ſe ab Vrbe diſcedentem, numquam nec Romam, nec ad Epiſcopatum rediturum iure iurando affirmauit. Hunc deinde contra iura ſacramenti, ad Vrbem redeuntem, necnon ad Epiſcopatum reſtitutum, & aliquot poſt annis ad Pontificiam dignitatem aſſumptum, ob iuramentum præſtitum, verum Papam non fuiſſe credens Stephanus huius nominis VII. omnia eius geſta irrita fuiſſe declarauit: Ioannes vero IX. dictum Formoſum verum fuiſſe Papam credens, Stephani res geſtas improbauit, & Formoſi acta in Concilio Rauennæ reſtituit.

Steph. vij.

Ioan. ix.

Ex Turrecrem & Calaia.

Dubitationis declaratio, & ſolutio.

THeologi & Canoniſtæ omnes in ijs, quæ ſunt fidei, Papam ſiue Eccleſiam Catholicam errare nullo

nullo modo posse iuxta Saluatoris Domini promissum omnino affirmant: si autem Ecclesiam, siue Papam errare vnquam contingat, errorem illum aut facti, aut personalem, siue opinatiuum vocant, non iudicialem: nam iudicium, vti diximus, ad officium aut ad Pontificiam sedem pertinet, opinio autem ad personam. Quamuis itaque alterum Summorum Pontificum in causa Formosi errasse dicamus oporteat, ille tamen error non fuit in fide, aut iudicialis, sed opinatiuus, seu personalis ac facti: altercatio enim illa, sicut Ioannes de Turrecremata & Cælaia inquiunt, non errat de fide, sed de facto, in quo Ecclesia errare potest, vt ipsi & alij affirmant. Stephanus namque Formosum non verum Papam fuisse putabat; Ioannes autem verum Papam eumdem opinabatur.

Error facti ac personalis.

Iudicium ad officiū, opinio ad personam pertinent.

Ioannes de Turrecrem. lib. 1. summa c. 112. ad 9. arg. Io. à Calaia lib. 3. sent. 25. dist. q. 5. pag. 148.

Dubitationis secundæ membrum II.

ALterum Summorum Pontificum exemplum à nobis propositum est de Christi & Apostolorum eius paupertate, quæ ad fidem pertinet. Nicolaus enim huius nominis III. & Ioannes XXII. apud Apostolicæ Sedis hostes visi sunt altercari, & alterum alteri in re ad fidem pertinente aduersari.

In sexto Decret. li. 5. de verb. signif. tit. 12. cap. 3. Extraua. de verb. sign. c. 4.

Dubitationis declaratio, & solutio.

PRo huius generis nodo dissoluendo, temporum ac paupertatum distinctionem in medium afferendam censeo: duas enim duobus temporibus paupertates Saluatorem nostrum verbo & exemplo docuisse constat. De prima paupertate, quæ nec in speciali, nec in communi quidquam proprij admittebat, Christus Dominus loquutus est, dum Discipulos suos ad prædicandum mittens dixit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via,*

Matt. 10.

nec

nec duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo. Hæc Beatus Matthæus, qui Matth. 8. de Christo Domino alio in loco ait: *Filius hominis non habet vbi caput reclinet*. Primam igitur paupertatem Saluator noster Christus tempore prædicationis verbo & exemplo docuit: eoq. tempore Christus & Apostoli nihil vllo modo, hoc est, nec in speciali nec in communi possidebant, à bonis mulieribus necessaria sibi Luca 8. sumentes, vt Lucas Euangelista scriptum reliquit. Hanc Nicol. iij. paupertatem in Christo fuisse, Nicolaus Papa decla- Ioan. xxij. rauit, & litteris Apostolicis affirmauit. Ioannes autem XXII. secundam paupertatem, quæ victui necessaria in communi possidenda admittit, in Christo fuisse Apostolicis etiam litteris explicauit, hæreticumq. esse illum, qui Christum Dominum & Apostolos nihil in communi habuisse diceret. Hanc enim paupertatem Christus Dominus, parum antequam pateretur, verbo item atque exemplo docuit, vt Lucas Euan- Luca 22. gelista scribit hisce verbis: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*. Hucusque Beatus Lucas: Glossa interlin. ex Turrecr. li. 2. c. 112 ad x. arg. cuius locum Glossa interlinearis examinando ait: *In hoc quoque nobis datur exemplum, vt nonnumquam causa instante, de nostri propositi rigore intermittere possimus*. De loculis autem, in quibus ea, quæ Christo, & Apostolis ad sui, eorumq. necessitates subleuandas seruabantur, Ioan. 13. Ioannes Euangelista testatur, dicens: *Quod facis* (Christus inquit Iudæ) *fac citius*. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret. Hæc de loculis. Quo in loco S. P. Augustinus ait: *Habebat ergo & Dominus loculos*,

lis, & à fidelibus oblata conferuans, & fuorum neceßitatibus, & alijs indigentibus tribuebat. Hæc Auguſtinus de vita Apoſtolorum in communi, de qua in Actis Apoſtolicis legitur in hæc verba: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*. Hæc S. Lucas in Actis Apoſtolorum, vbi de huius generis vita, quam ſanctæ Religiones imitantur, venerabilis Beda hunc ait in modum: *Qui ita viuunt, vt ſint omnia communia in Domino, Cœnobitæ vocantur: quæ vita tanto felicior, quanto ſtatum futuri ſæculi imitatur, vbi omnia communia, quia Deus eſt omnia in omnibus*. Hæc Beda Sanctus. Vtramque igitur vitam, quæ propriam perfectionis Euangelicæ retinet formam, Chriſtus Dominus & verbo & exemplo, diuerſis tamen temporibus, docuit. Hinc ex ſecundæ vitæ exemplo, quod victui neceſſaria in communi poſſidenda admittit, perfectioni Euangelicæ nullo modo derogari videmus: quia vt ait S. Thomas in Summa, perfectionis natura & vis, quam alij eſſentiam vocant, non in paupertate, quæ ad perfectionem perueniendi exercitium & inſtrumentum eſt, re vera conſiſtit, ſed in Chriſto Domino ſequendo, iuxta Beati Hieronymi ſententiam. Hic enim, dum ea Petri apud Matthæum perpendit verba; *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* necnon Chriſti reſponſum Petro datum, examinat, inquit: *Non dixit* (Chriſtus ſcilicet) *Qui reliquiſtis omnia, hoc enim Crates fecit Philoſophus, & multi alij diuitias contempſerunt; ſed qui ſequuti eſtis me: quod proprium Apoſtolorum eſt, atque credentium*. Hæc Hieronymus. Euangelica itaque perfectio aliquid in communi habere admittit, ſolamq. ſolicitudinem, vt ait Doctor Angelicus, ſuperfluam, non neceſſariam prohibet apud Matthæum dicentem: *Ne ſoliciti ſitis, quid manducetis, aut corpori veſtro quid induamini*.

Augu. in 10. tract. 62. to. 9. Et 12. q. 1 Habebat.

Act. 4.

Beda ex Gloſſa ordinaria.

1. Cor. 15.

S. Tho. 2. 2. q. 188. art. 7.

Matt. 19.

Hier. to. 9 in c. 19. Matth.

Matth. 6.

Nec

Nec huic doctrinæ refragatur illud alterum Salua-
Matth. 6. toris nostri dictum apud Euangelistam dicentem: *Nolite solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit*
To. 6. in cap. 6. Hom. 16. in Matt. in opere imperf. *sibi ipsi, sufficit diei malitia sua.* Hanc enim sententiam B. Hieronymus hunc in modum exponit: *Sufficit nobis præsentis temporis cogitatio: futurorum curam, quæ incerta est, Deo relinquimus.* Sanctus Ioannes Chrysostomus eam explicat hisce verbis: *Sufficit labor, quem pateris propter necessaria: noli de superfluis laborare;* malitia enim diei pro
Aug. li. 2. de serm. Dom. in monte c. 25. to. 4. labore sumitur. S. P. Augustinus eam in hæc verba interpretatur: *Cum aliquid boni operamur, non temporalia,* quæ significantur per crastinum, *sed æterna cogitemus.* Hæc de superflua rerum temporalium solicitudine obiter, occasione suadente.

Ab ijs itaque, qui aliquid habent in communi, perfectioni Euangelicæ non derogatur: immo hanc vitæ perfectionem à Christo Domino & verbo & exemplo nobis monstratam ac declaratam fuisse constat. Id quod
Ioa. xxij. factum explicatur. Ioannes XXII. in litteris Apostolicis affirmauit, illumq. hæreticum esse declarauit, qui Christum Dominum nihil in communi habuisse diceret. Quæ sanè
Nicol. iij. dictum explicatur. sententia Nicolao III. qui Saluatorem nostrum nec in speciali nec in communi aliquid habuisse declarauit, non aduersatur, si tempora distinguantur. Christus enim loculos aliquando habuit, aliquando vero non habuit: quæ profectò propositiones tamquam sub-
Subcõtraria posũt esse vera. contrariæ, non autem contrariæ, veræ esse possunt, ac reipsa sunt veræ. Loculos namque Saluator Dominus suæ prædicationis initio non habuit, vt ait Nicolaus III. sed parum ante quàm pateretur habuit, vt Ioannes XXII. fatetur. Nemo igitur eorum Pontificum vllo modo errauit. Nec Ioannes Decreta Nicolai reuocauit, sed declarauit.

Nicolaus enim hæc de Ordinis Minorum Fratribus dixit: Fratres minores in rebus oblatis eis nihil iuris & do-

& dominij habent nisi solum simplicem vsumfructum denudatum ab omni iure & dominio, atque proprietate tàm in speciali, quàm in communi.

Ioannes XXII. declarauit, hæc Nicolai verba debere intelligi in rebus, in quibus vsus à dominio & proprietate separari potest, veluti sunt res immobiles, & multæ item mobiles; non autem in rebus, quæ vsu consumuntur. Dixit etiam Ioannes, Fratres minores ius vtendi habere ijs item in rebus, quibus vtuntur: quod iuxta Nicolai placitum esse declarauit. Nec ob id, vt ait Ioannes de Turrecremata, Nicolao præiudicium fieri credendum est; quia ipsemet Nicolaus in sua Constitutione expresse scribit, vt Fratres in rebus circa eam dubijs ad Sedem Apostolicam confugerent.

Ioan. xxij. dictum declaratur.

Turrecr. in summa lib. 2. cap. 112. ad x. arg. in fine.

Adde etiam, quòd si absque Saluatoris nostri præiudicio præceptum de non iurando Romanus Pontifex declarauit, dicens, iuramentum in omni casu prohibitum non fuisse; immo eos hæreticos esse ait, qui iurare numquam omnino licere dicerent; multo magis Ioannes Constitutionem Nicolai declarare potuit, non solum in ijs, quæ ad Fratres minores attinebant, sed etiam alijs in rebus, quæ nec ad fidem, nec ad bonos mores generaliter pertinent; immo decreta Prædecessoris sui Pontifex, quippe qui in huius generis rebus par in parem habet imperium, reuocare & mutare potest.

Conc. Constant. sess. 8. & 45. Et lib. 2. Decretal. tit 24 ca. 26. Ex Innoc. III.

Turrecre. vbi supra.

Declaratio igitur Ioannis XXII. Constitutioni Nicolai III. non refragatur, nemoq. illorum hac in re errauit. Si quis tamen Summorum Pontificum in ijs, quæ sunt facti, vel quæ propria priuatorum hominum facta respiciunt, erraret; error ille vel facti, vel personalis foret: è quorum etiam numero illud est, quod de Ordine ac statu Fraticellorum à Cælestino V. præstitum fuit, deinde à Bonifacio VIII. infirmatum, & viribus penitus à Ioanne XXII. euacuatum, vt in

Extraua. Ioa xxij. Tit 7 de Relig. do. cap Sācta Ro. Eccl.

Melch. Canus lib 5. q. concl. 3 de Aucto. Conc.

O Extra-

Et Bañes in 2.2. S. Tho q. 1. ar x.dub. 8. Greg.Nilnius de opt. Reip. statu li. 3. Turrecrē. li.2 summa c.112 ad 6. Iudicium ad officiū, opinio ad personam pertinent.

Extrauaganti eiusdem Ioannis videre est. Idem quoque de Ordine Baptistæ Cremensis tempore Pauli III. factum esse constat. Ordines enim (vt ait Melchior Canus) vel probare vel refellere non ad ea pertinet, in quibus Papa errare nequit: quoniam id non è scientia solum, sed etiam è prudentia pendet humana. Numquam autem Pontifex in fide, vt aiunt, iudicialiter erraret, etiam si in fide male opinaretur; idq. dicitur propter assistentiam Spiritus sancti à Christo promissam, quæ non personam priuatam, sed Officium aut Pontificiam sedem respicit: opinio enim ad personam, iudicium vero ad officium pertinet.

Viguer. de virt. fid. ver.4. nu. 204.

Bañes vbi supra.

Quamuis ergo aliquis vmquam Papa, non vt Papa, sed vt priuata persona in fide male opinaretur, numquam tamen opinionem hæreticam ob rationem assignatam iudicialiter diffiniret: quia vel inspiratione interna, vel morte intercedente, vel alio modo impediretur. Istuc ipsum in Canonizatione, quæ est quædam fidei protestatio aut professio, affirmandum omnino est. Si enim in Canonizatione Sanctorum Romanus Pontifex (ait Viguerius) faciat quod in se est, hoc est iuxta ritum & consuetudinem Ecclesiæ ac Sanctorum Patrum, sese gerat, errare, aut decipi numquam potest: immo Papa (vt inquit Bañes) in Canonizatione Sanctorum sua potestate abuti non valet. Hæc de sæcunda dubitatione, vt tertiam & vltimam aggrediamur.

Dubi-

Dubitatio Tertia.

De Catholicæ Ecclesiæ infallibilitate in Canonizatione Sanctorum. Cap. XLII.

Multa corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in Inferno.

HAec ſanè verba quamuis modo ſub Auguſtini, modo ſub Gregorij Magni nomine circumferantur, quonam autem libro apud ipſos Doctores inueniantur ſcripta, nemo eſt, qui narret, aut ſaltem innuat; ea tamen, quippe quæ vulgatiſſima ſunt, & in ore fere omnium verſantur, & Eccleſiæ Catholicæ infallibitati aduerſari videntur, hoc loco enodanda omnino cenſentur.

Dubitationis declaratio, & ſolutio.

SVnt qui ſententiam nuper propoſitam, quam ego apocrypham eſſe reor, de Ethnicis, quos Gentiles paſſim vocitamus, intelligendam velint: multi enim ex Gentilibus tum ob heroicas virtutes, tum etiam ob rerum geſtarum monimenta, vel alias ob cauſas in Sepulchris ac Statuis honorantur: quorum tamen animæ in inferno abſque dubio cruciantur. *Solutio I. Vigu. vbi ſupra.*

Non deſunt qui de non canonizatis, ſed de malis Chriſtianis, qui ſepulchris ſcitiſſime ſtructis, honorificiſq. Epitaphijs honorantur, ſententiam commemoratam interpretandam eſſe dicant. *Sol. II.*

Alij vero de Pſeudomartyribus Donatiſtarum, qui ab Hæreticis tamquam veri Martyres colebantur, quorum tamen animæ in inferno re vera torquentur, dictam ſententiam intelligendam opinantur. *Sol. III. Bellarm. to. 1. contro. de SS. Beat. lib. 1. cap. 9.*

O 2 Couar-

Sol. IV. Couarruuias denique dictum illud de corporibus supposititijs, seu adulterinis explicandum censet: fieri enim potest, vt Sanctorum corporum, siue reliquiarum sanctarum loco, alijs corporibus, seu reliquijs scelestissimorum hominum fraudulenter substitutis aut subrogatis, has illusiones, Ecclesia tot bellis, totq. tyrannorum iniurijs & iniquitatibus oppressa, patiatur. Ecclesia namque sancta Dei, vt exemplis, à Couarruia in medium allatis, vtar; Beatum Hieronymum tamquam sanctum venerandum & colendum nobis iam proposuit: corpus tamen illud, quod sancti Hieronymi esse putamus, vere illius esse corpus, iudicio suo Ecclesia non decreuit. Maxima item veneratione Ioannem Baptistam, tamquam vere sanctum colendum esse diffiniuit Ecclesia; caput tamen illud, quod eiusdem Sancti esse credimus, Ioannis Baptistæ indubitanter esse, iudicio Ecclesiæ statutum non est. Idem multis alijs Sanctorum corporibus, aut reliquijs ob dictas, & alias causas euenire posse putandum est. Hinc fieri tandem potest, vt in eorum, qui ab Ecclesia Sanctorum Catalogo adscripti sunt, locum, vel non Sancti, vel qui ex hac luce publico deprauatæ vitæ testimonio discesserunt, ob idq. in inferno cruciantur; fuerint vel fraudulenter, vel fortuitò substituti.

Didacus Couarr. l. 1. Variarū cap. x.

Exempl. de S. Hieron.

Exempl. de S. Io. Bapt.

Summa solutionum.

MIrandum itaque non est, si multa corpora venerentur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno, vt initio recitata testatur sententia, quæ non ad corpora eorum, qui ab Ecclesia canonizati fuere, sed vel ad Gentilium corpora; vel ad corpora malorum Christianorum, qui Catalogo Sanctorum non fuerunt adscripti; vel ad Pseudomartyrum hæreticorum corpora, seu supposititia vel adulterina referri debent; Eccle-

Ecclesiæ Catholicæ infallibilitate, seu infallibili certitudine, ijs in rebus, quæ ad fidem seu fidei professionem aut protestationem, cuiusmodi est Canonizatio Sanctorum, pertinent, ob assistentiam Spiritus sancti à Christo Domino promissam perpetuò permanente.

Huc insuper accedit, quòd antequam aliquis Catalogo Sanctorum adscribatur, ieiunia & preces publicæ indicuntur, vitaq. eius, atque miracula, vti suo iam loco diximus, diu ac diligentissimè examinantur, testibus & contestibus multoties repetitis; magnaq. inquirendi ac iudicandi maturitate, omnibus item rebus tàm dictis quàm factis minutatim examinatis, & veluti trutina iudicij quadam expensis atque consideratis. Hinc credi non potest, vt Deus Ecclesiæ suæ sanctæ huno in modum dispositæ ac præparatæ (quod ad diuinam etiam prouidentiam spectat) non adsit, assistentia Spiritus sancti eidem iam à Christo Domino promissa, quam in ijs, quæ ad fidem, siue ad officium aut sedem Pontificiam, vt ait Ioannes de Turrecremata, pertinent, cuiusmodi Sanctorum Canonizatio est, numquam defuisse constat: sicut enim alijs in rebus, nec ad communes Ecclesiæ vniuersæ mores, nec ad fidem spectantibus, in quibus Pontifex errare potest, errores tandem sunt aliquando deprehensi; ita in Canonizatione Sanctorum euenisset, si vmquam in ea fuisset erratum. Id quod tam longo sæculorum ordine numquam euenisse compertum est, ob peculiarissimam Dei prouidentiam, cuius abunde magnum argumentum est, quòd fides, ab humanis testibus in huiusmodi suscepta iudicijs, vt nuper diximus, numquam infirmata est.

Ieiunia & preces indicuntur.

Io. de Turrecrem. li. 2. summa cap. 112. ad 6.

Viguer. Bañes. Bellarm.

Pag. 98.

Si autem in re tanti ponderis ac momenti, quanti est Canonizatio Sanctorum, errari vmquam posset, Ecclesia sancta Dei ludibrio, ac despectui foret; & à tartareis spiritibus irrideretur, si quos perpetuò cruciandos,

dos, tenebricosóq. carceri mancipatos, tamquam Sanctos colendos & inuocandos proponeret: nam si error hac in re daretur (id quod fieri haudquaquam potest) præterquam quòd non differret (ait Canus) diabolum coleres, an hominem condemnatum; Ecclesia inter orandum, dum petitur, vt sicut illos Deus glorificauit in cælis, ita nobis gratiam largiatur in terris; pro benedictione imprecationem seu maledictionem materialiter, vt Scholastica vtar voce, postularet. Quæ sanè omnia, & alia id genus multa, quæ inde sequuntur, tamquam absurda, & impia aures Fidelium perhorrescunt.

Melch. Canus lib. 5. c. 5. q. 5. concl. 3.

Canus vbi supra.

Ecclesiam idcirco Catholicam in Canonizatione Sanctorum errare non posse necessariò & absque vlla hæsitatione fatendum est: si enim (vt ait Card. Bellarminus, & rectè quidem) dubitare liceret, an Sanctus canonizatus sit Sanctus, an etiam sit colendus, & inuocandus; dubitare liceret. Id quod falsum omnino est, insolentia & mera insania plenum, cum S. P. Augustinus insolentissimæ insaniæ esse dicat, disputare, an sit faciendum quod tota facit Ecclesia. Hinc Sanctus Bernardus de diebus festis in honorem Sanctorum colendis ait: *Ego quæ accepi ab Ecclesia, securus teneo & trado.*

Card. Bellarm. to. 1 controu. 1. 1. de Bea. Sanct. c 9.

Aug. to. 2. epist. 118.

Bern. epist. 174.

De Catholicæ Ecclesiæ infallibilitate in Canonizatione Sanctorum Conclusio.

Necessariò itaque, hoc est, nulla penitus hæsitatione, sed firma fide credendum est, Ecclesiam Catholicam in Canonizatione Sanctorum nullo modo errare posse. Qui secus diceret, aut crederet, temerarius insolentissimus, & irreligiosus, vel amens, aut impius foret, immo à suspicione hæresis alienus non esset.

A V-

AVCTORIS
PERORATIO.

HÆc ſunt, quæ de Canonizatione Sanctorum mihi dicenda videbantur: quæ ſanè omnia iudicio; correctioni, & auctoritati Sanctæ & Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, quæ columna eſt, ac firmamentum veritatis, ſubiecta omnino eſſe volo. Si quid verò minus rectè, minusve prudenter dixerim (vti facile euenire poſſe fateor) cenſuram doctiſſimorum Virorum in hanc meam elucubrationem (imbecillitate humanæ naturæ perſpecta) benignam fore confido. Si quid denique publicæ vtilitati ad Eccleſiæ ſanctæ dignitatem ac maieſtatem tuendam & conſeruandam, præſtiterim, omnipotenti Deo, bonorum omnium largitori, & Chriſto Saluatori noſtro, omnium Sanctorum effectori, & in Sanctis ſuis glorioſo, acceptum refero; & gratias ago Deiparæ ſanctæ, ac ſemper Virgini Mariæ, Sanctisq. omnibus, quos pro diuina ope in hoc de eorumdem Canonizatione Commen-

men-

mentario imploranda ſuppliciter & enixè inuocaui, quosq. in cunctis rebus meis inuocatos ſemper eſſe volo apud Deum immortalem, Creatorem, necnon Redemptorem, & Glorificatorem, cui laus, honor, & gloria in ſempiterna ſæculorum ſæcula.

Amen.

CAEREMONIAE IN IPSA CANONIZATIONE OBSERVARI CONSVETÆ

describuntur, ac declarantur.

CÆremonias, quæ in Canonizatione Sanctorum obseruari solent, dum de præcipuis rebus, quæ Canonizationem iure admittunt, sermonem haberemus, rudi quadam Minerua delineauimus, vel potius adumbratim descripsimus, rerum ipsarum tàm ordine, quàm connexione id postulante: interiectio namque, nisi quod interponitur, breue sit, intellectum, Quinctiliano teste, impedit, ordinem item perturbat, & connexionem, siue, vt aiunt, texturam confundit. Cæremonias itaque in ipsa Canonizatione obseruari consuetas hoc loco breuiter describendas, explicandasq. censuimus, vt ne quid scitu dignum, ad Canonizationis ritum pertinens, præsertim vero ijs, qui huic solemnissimo tantæ celebritatis actui numquam interfuerunt, aut nusquam legerunt, penitus ignotum, silentio prætermittamus.

Pag. 11. & seq.

Lib. 8. c. 2.

Eo die Canonizationi dedicato, vti suo iam loco diximus; postquam solemnissima processione, & longo quidem ordine, hymnis insuper ac litanijs, alijsq. sacrarum precum modulationibus, ad eam, in qua Canonizatio celebranda est, Basilicam vel Ecclesiam, amplissimo apparatu ornatam, deuentum est, Romanus Pontifex post preces Deo ante Altare oblatas, solium suum edito loco situm conscendit, atque inde

Pag. 88.

tàm S. R. E. Cardinalium, quàm Prælatorum, qui vestimentis Ecclesiasticis induti sunt, obedientiæ munus recipit. Hac re tandem præstita, Orator alicuius Principis, Canonizationem postulantis, vel Cardinalis in Oratoris locum aliquis cum Aduocato ipsius Principis nomine, suppliciter, &, vt aiunt, instanter Canonizationem postulat. Tum Secretarius Pontificio nomine pro ea re conficienda Deum obsecrandum esse respondet. Deinde Romanus Pontifex ad faldistorium descendit oraturus: interim Litaniæ decantantur: quibus absolutis, Romanus Pontifex ad solium redit. Iterum vel Orator, vel Cardinalis cum Aduocato suppliciter, &, vt inquiunt, instanter, & instantius pro secunda vice Canonizationem celebrandam petit. Secretarius item respondet, rem tam grauem postulare, vt iterum diuinum auxilium imploretur. Hinc Summus Pontifex è solio ad orandum ante Altare descendit: deinde S. R. E. Cardinalis Diaconus, qui Pontificis dextræ assistit, alta voce dicit: ORATE. Ad hanc vocem taciti omnes genibus flexis Deum orant, quoadusque alter S. R. E. Cardinalis Diaconus dicat: LEVATE. Voce hac pronunciata, surgunt omnes, & libro à Prælatis assistentibus allato, Summus Pontifex hymnum inchoat, *Veni creator Spiritus*, statimq. cum alijs omnibus ad genuflexionem reuertitur, & in ea permanetur, donec primus decantetur Versus: quo expleto, Papa ad solium redit. Hymno tandem decantato, Cantores duo hunc decantant Versum, *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*. A ceteris verò Cantoribus respondetur: *Et renouabis faciem terræ*. Deinde Summus Pontifex è solio hanc dicit Orationem:

DEVS, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dom. In vnitate eiusdem Spiritus sancti, &c.

Hac

Hac Oratione pronunciata, Orator Principis, vel Cardinalis cum Aduocato, nomine item Principis suppliciter, & vt, aiunt, instanter, instantius, & instantissimè pro tertia vice Canonizationem celebrandam postulat. Tum Secretarius, id, quod petitur, Romanum Pontificem, Deo fauente, facturum respondet, Beati N. vitæ iam innocentia, & sanctitate miraculorum splendore illustrata, satis abunde perspecta.

His tandem ritè præstitis, Romanus Pontifex in solio sedens, pluuiali & mitra insignitus, Canonizationis Decretum pronunciat in eam verborum formam, quam suo iam conscripsimus loco, dum de amplissimo Canonizationis apparatu, & cæremonijs in ea obseruari consuetis, summatim, vel potius adumbratim mentionem faceremus: quas omnes amicorum hortatu hoc loco singulatim apponere libuit, vt nonnulla scitu digna, quæ declaratione indigent, explicentur. *Pag. 88. & seq.*

Decreto Canonizationis ritè, ac solemniter pronunciato, necnon Indulgentijs, quæ, vti iam diximus, cum Decreto indicuntur, promulgatis, S. R. E. Cardinalis, vel Orator, & Aduocatus, Principis nomine, debitas Romano Pontifici gratias agunt, Bullamq. Canonizationis conficiendam suppliciter postulant, Papa respondente: DECERNIMVS. Ad huius verbi pronunciationem, Aduocatus Protonotarios, Notariosq. præsentes rogare solet, vt ad perpetuam rei gestæ memoriam publicas tabulas curent conficiendas. Omnibus hisce rebus actis, ad spiritalem vniuersæ Vrbis, & Ecclesiæ lætitiam, & ad tantæ rei gestæ venerationem declarandam, tàm in Adriani mole, nunc Arce Sancti Angeli nuncupata; quàm etiam in Area sancti Petri tormenta bellica, quæ Bombardæ vulgo appellantur, maximo planè numero displodi solent, ita vero, vt terribili boatu cælum crepitare, terra quati, ac tecta denique nutare videantur, clangore tuba- *Pag. 90.* *Lætitiæ signum.*

P 2 rum,

rum, sonituq. campanarum atque organorum præuio.

Inter hæc agenda Summus Pontifex ad laudes, & gratias Deo agendas, Hymnum, aut Canticum, cuius initium est, *Te Deum laudamus*, cantando exorditur: quem Chorus prosequitur. Hymno autem completo, S. R. E. Cardinalis Diaconus cantando ait: *Ora pro nobis Beate N.* & Cantores respondent: *Vt digni efficiamur promissionibus Christi*; Papa deinde Orationem de Sancto canonizato decantat. Post Orationem decantatam S. R. E. Cardinalis Diaconus, Euangelium in Pontificia Missa cantaturus, alta voce ait: *Confiteor Deo omnipotenti*, & cetera in confessione dici solita, in qua post Sanctos Apostolos Sanctum canonizatum nominat, idemq. in Absolutione facit Papa: qui deinde, indulgentia, quæ in Absolutione dari solet, promulgata, Tertiæ officium inchoat, eamdem Choro prosequente, dum vestibus sacris ad Missam pontificia solemnitate celebrandam induitur.

De oblationibus in Missa Canonizationis fieri consuetis.

Tertiæ officio expleto, Missæ sacrum vel de Sancto canonizato, vel de illa diei solemnitate, si qua in die Canonizationis eueniat, solemni ac Pontificio ritu cum commemoratione Sancti canonizati decantatur. In offertorio autem tres S. R. E. Cardinales, qui in Canonizatione Iudices olim fuerunt, hoc est primus Episcopus, primus Presbyter, ac primus Diaconus Sacræ Rituum Congregationis; & Principis alicuius Canonizationem postulantis Oratores item tres, aut vnus, vel aliquis Cardinalis in Oratoris locum à Papa electus, offerunt ea omnia, quæ in Missa Canonizationis offerri solent, mysterijs plena.

Primus Cardinalis offert duos cereos, & satis quidem magnos: primus autem Oratorum, vel aliquis in

Ora-

Oratoris locum Cardinalis, cereum vnum, duasq. Turtures viuas in caniſtello aurato incluſas.

Secundus Cardinalis duos offert panes prægrandes; vnum auratum, alterum argentatum: Orator, vel aliquis in Oratoris locum Cardinalis, alterum offert cereum, duasq. columbas albas viuas in caniſtello item argentato incluſas.

Tertius Cardinalis duos cados offert exiguos, vini plenos; vnum auratum, alterum argentatum. Orator, vel Cardinalis in Oratoris locum, tertium offert cereum, & caniſtellum varijs pictum coloribus, viuisq. auiculis diuerſi generis plenum.

Indulgentia in fine Miſſæ.

Omnibus hiſce rebus ritè oblatis, Summus Pontifex Miſſam maxime ſolemnem proſequitur cum cæremonijs, myſteriorum plenis, quas breuitatis cauſa omittendas hoc loco cenſeo. Miſſa tandem completa, S.R.E. Cardinalis Decanus plenariam Indulgentiam iuxta formam Eccleſiæ conſuetam omnibus illic præſentibus indicere ſolet.

Panis & vini ac cereorum oblationes declarantur.

Hæc de cæremonijs, nunc de rerum oblatarum ſignificationibus ſupereſt dicendum. Omnia enim, quæ in Canonizationis ſolemnitate offerri ſolent, myſteriorum plena ſunt, maioriq. ex parte à primitiuæ Eccleſiæ ritibus ortum habent, vt in quarto Sanctorum Apoſtolorum Canone videre licet, vbi hæc leguntur verba: Offerre non liceat aliquid ad Altare præter nouas ſpicas & vuas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id eſt, incenſum, tempore, quo ſacra celebratur oblatio. Hæc in Canone, vbi primitiarum vel nouorum *Canon. Apoſt. iuxta veterem edit.*

rum

rum fructuum oblationes in primitiua Ecclesia fieri consuetae commemorantur. Per animalia verò, quae inibi offerri prohibentur, sacrificia, quae ex lege antiqua per sanguinem & animalium caedem in templo fiebant, vt Balsamon interpretatur, vetantur, sacrificiumq. fieri iubetur incruentum, tribus iam figuris, Gabriel Biele teste, adumbratum, prius videlicet in Abel; deinde in Abraham; postremo in Melchisedech, qui cum Sacerdos esset Dei altissimi, offerens panem & vinum, nostri sacrificij ritum figurauit; & sua persona personam Christi, qui est Sacerdos & sacrificium, repraesentauit. Ad hoc itaque Altaris sacrificium à Melchisedech in pane ac vino adumbratum repraesentandum, panis, & vinum in solemnitate Canonizationis offerri solent, quando scilicet Summus Pontifex in Altari, panem & vinum ante consecrationem pro immaculata Hostia immolanda offert. Ad eiusdem insuper tanti sacrificij venerationem praestandam cerei cum pane ac vino in eadem Missae parte, quae Offertorium nuncupatur, offeruntur, vti ex eo nuper commemorato colligitur Canone. Turtures, atque Columbae albae, aliaeq. diuersi generis auiculae, in Missa post Canonizationem oblatae sacris item mysterijs non carent, vti ostendemus, vana prius Ethnicorum superstitione, in Imperatoribus inter falsos, fictosq. diuos referendis, explicata.

Theodorus Balf. in Can.

Gabriel Biel in Missa can.

Hebr. 7.

De origine, & antiquitate Canonizandi Sanctos.

† Ecclesiae primitiuae Patres, de Christiana Religione optime meriti, vt vanas & impias Ethnicorum superstitiones abolerent atque obliterarent, aliquot sacra, & pia instituta, quasi superstitionum antidota obseruanda decreuerunt, vt in nostro de sacris Ritibus ad superstitiones extirpandas magna cum pietate institutis, Commentario explicauimus, & diffuse quidem.

† Rabanus lib. 2. de instit. Cler. Alcuin. de offic. Eccl. Amal. lib. 3. cap. 43. Hildeph. ser. de Purif. Innoc. 3. ser. de Pur. Dur. lib. 7. c. 7. Rational. diu. off.

dem. Quæ sanè omnia silentio nunc prætermittenda sunt, vt antiquam & sacram Canonizandi originem prius demonstremus, deinde vanam Ethnicorum de Imperatoribus falsos inter deos relatis superstitionem redarguamus. Hac re statim præstita, sacrum in Missa Canonizationis ritum offerendi aues, mysterijs plenum, explicabimus, explicatumq. comprobabimus, ne sacer ac pius Canonizandi Ritus à superstitiosa & vana Imperatorum consecratione originem vllam habere credatur.

Quamuis nonnulla, vti diximus, ad vanas & impias Ethnicorum superstitiones abolendas, in Ecclesia Dei fuerint introducta; Canonizatio tamen Sanctorum, nunc fieri consueta, originem, aut potius imaginem quamdam traxit ex varijs Scripturæ sacræ locis; dum in ijs Ecclesia Sancta quorumdam Patrum sanctitatem, egregijs exemplis illustratam, commendat, nobisq. imitandam proponit, vt in Libro Ecclesiastici, & in Epistola Beati Pauli Apostoli ad Hebræos videre licet. Eorum autem Canonizatio aut festus dies (Machabæis, ob martyrium non pro Christo in Euangelio, vt S.P. Augustinus ait, reuelato; sed pro Christi nomine in lege velato perpessum, exceptis: qui, si tantum Martyrium, quod, vt ait Gregorius Nazianzenus, sine fide in Christum esse non potuit, ante Christi Passionem perpessi sunt, quid post Christi Passionem fecissent?) non celebratur; quia illi in tempore plenitudinis gratiæ, vt ait Viguerius, non fuerunt, sed ante Verbum incarnatum, eo scilicet tempore, quo nondum in cælum ascendere poterant ob culpæ primi Parentis reatum lymbo inclusi. Prius enim, vt Sanctus inquit Gregorius ille Magnus, quàm Redemptor noster morte sua, humani generis pœnam solueret, eos etiam, qui cælestis Patriæ vias sectati sunt, post egressum carnis, inferni claustra tenuerunt; non vt

Eccl. 44. *Hebr. 11.* *S. Augu. ser. 109. to. x.* *Gregorius Naz. ora. 22. in Machab. to. 1.* *Viguer. de virt. fid. nu. 104. ver. 4.* *S. Greg. li. 4. Moral. c. 21. in c. 3. Iob to. 1*

pœna

pœna quasi peccatores plecteret, sed vt eos in locis remotioribus quiescentes (quia needum intercessio Mediatoris aduenerat) ab ingressu Regni, reatus primæ culpæ prohiberet, quos tandem Christus Dominus, dum in cælum ascenderet, secum duxit. Hinc Sancti Patriarchæ ac Prophetæ omnes in Litanijs inuocantur, multiq. ex ijs in Martyrologio Romano gloriose recensentur, & in aliquibus Christiani Orbis locis venerantur, è quorum numero item sunt, Iob, Samuel, Hieremias, Symeon, Zacharias, & Moyses: horum enim solemnia Venetijs præsertim celebrantur, ibiq. sunt templa Deo in eorumdem memoriam & honorem erecta. Zaccchariæ autem, patris sancti Ioannis Baptistæ, caput Romæ in Basilica Lateranensi magna veneratione asseruatur, ac de eo diuinum officium recitatur. Nonnulli verò, qui in Veteris Testamenti fine, ac Noui principio fuerunt, ab vniuersali Ecclesia solemni coluntur festiuitate, veluti sunt Anna, Genitricis Dei Mater; & Ioseph Genitricis eiusdem Sponsus; necnon Deipara semper Virgo, quæ Christum Dominum, Sanctorumq. Sanctum in vtero suo gestauit, ac peperit; & Ioannes Baptista, qui Christum digito demonstrauit, & baptizauit.

Eamdem quoque Canonizationis formam in nouo
Act. 23. Testamento, præsertim verò in Actis Apostolicis vi-
c.4.& 7. dere est, in quibus Sanctorum noui Testamenti gesta, sanctitatis plena, recensentur, & commendantur, nobisq. imitanda proponuntur, eorumdemq. in cælo viuentium festus dies celebratur. Hæc de sacra & antiqua Canonizationis imagine, quæ paulatim iuxta temporum indigentiam, quæ noua semper consilia, nouosq. rei eiusdem gerendæ modos subministrare solet, maiora in dies incrementa, maioremq. in Canonizando industriam, ac solemnitatem suscepit, vt ex ijs
Pag 7.c.5 rebus, quas in quinto huiusce Commentarij nostri capite

pite conſcripſimus, videre licet. Nunc reliquum eſt, vt Ethnicorum error in conſecratione Imperatorum, ſuperſtitione ac vanitate plenus, explicetur.

Ethnicorum ſuperſtitio vanitatis plena explicatur.

Ethnici nefarios ſæpe homines, & multis ſceleribus flagitijsq. reſperſos, vt Franciſcus Penia, Rotæ Auditor, vir ſane eruditiſſimus, atque vtriuſque iuris peritiſſimus recte inquit, vaniſſimis ſuperſtitionibus in numerum falſorum deorum referebant, eisq. immeritos decernebant honores: Romanorum namque Imperatores, qui ſuperſtitibus filijs, vel ſucceſſoribus, ex hac vita decedebant, in ipſis funerum iuſtis perſoluendis, dum eorumdem corpora cremabantur, inter diuos, vt Herodianus in Seuerianis exequiarum iuſtis diffuſe ſcribit, referri ſolebant, & inter eos relati dicebantur, cum primum Aquila, Imperatoribus dedicata, igni pyræ ſubiecto, ex intimo aut extremo tabernaculo, tamquam è faſtigio quodam dimittebatur, quæ in Cælum animam Imperatoris deferre ſtultè credebatur, ſicut idem refert Herodianus, atque in varijs Imperatorum cernitur numiſmatibus, in quibus non ſolum hæc inſcriptio legitur, CONSECRATIO, vel Deificatio, quam Græci Apotheoſin vocant; ſed Aquila item & pyra, ſeu affabrè facta lignorum congeries ad ipſam ſuperſtitionem inſinuandam repræſentantur. Quæ ſane res à Canonizatione ita abhorret, vt nullam penitus affinitatem cum ea, vti oſtendemus, habeat: immo qui aliter diceret, aut amens, aut maledicus hæreticorum imitator cenſendus foret.

Franc. Penia.

Herodianus.

Ceremoniæ ſacræ myſterijs plenæ.

Quamuis itaque dicta Ethnicorum inter falſos, fictosq. deos, ſeu potius inter veros dæmones relatio,

mera superstitio, impietatis & idololatriæ plena dicenda sit, quippe quæ stultitia illorum erat, qui sine veræ fidei, ac sine veri Dei cognitione viuebant, dæmonibus seruientes; quiq. inanis gloriæ mancipia erant; quorum tandem virtutes ad verum Deum non relatæ, vt Sancti Patris Augustini, vtar verbis, vitia erant potius, quàm virtutes; immo tota vita, sicut idem sanctus Doctor, & alij Theologi affirmant, omnesq. actiones ad idola relatæ peccata erant; sacræ tamen cæremoniæ Christianæ Religionis iam in primitiua Ecclesia à sanctis Apostolis institutæ, & à sanctis Ecclesiæ Patribus ac Romanis Pontificibus paulatim auctæ, augustissimis mysterijs non carent, vti B. Dionysius Areopagita inquit, dum quanam ratione Sancti Apostoli cæremonias instituerint, in hanc docet verborum formam: *Principes nostri*, (hoc est Apostoli) *visibilibus signis cælestia sacramenta texerunt, & sub humanis imaginibus res diuinas tradiderunt, & in materiali figura maiestatem spiritualem repræsentarunt, vt pro modo, ac ratione captus nostri, figuris visibilibus, quasi adminiculis quibusdam ad mysteriorum augustiorem intelligentiam subuehamur.* Hæc Dionysius de sacris cæremonijs in Ecclesia sancta institutis, quæ sicut folia (Stapletonus in hunc Dionysij locum ait) arbores ornant, & cortex sustentat, quamuis fructum non proferant; sicut etiam ligna vitem sustinent, & sepes non nutrit plantas, sed seruat; sic cæremoniæ externæ quamuis per se actus pietatis non sint, ad pietatem tamen ac religionem conseruandam atque fouendam mirum in modum conducunt: cæremonijs namque catholicæ Ecclesiæ visis & auditis atque intellectis, homines ad pietatem excitantur, atque ad feruorem accenduntur.

Augu. lib. 19. de Ciuit. Dei c. 25. to. 5. & to. 3. li. sent. cap. 106. Aegid lib 2. sent d. 41. art. 3. S. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 4. Viguer. li de inst. Theo. c. 3. §. 7. vers. 5. de volunt hu ma. n. 41.

Dionys. Areop. de Eccl. Hierach. c. 1.

Turturum & Columbarum oblationes explicantur.

Illarum itaque auium oblationes in Missa Canoni-

zatio-

zationis præstari consuetæ, vt eò, vnde digressi sumus, *Pag 221.*
reuertamur, mysteriorum plenæ sunt, pium sensum
aut significatum fouentes, & in se conseruantes. Columba enim, quæ felle caret, Christi Domini, in cuius ore dolus non fuit, mansuetudinem significat. *Isa. 53.* *1. Petr. 2.*
Turtur verò semper gemens, Christi gemitum in
passione adumbrat. Ceteræ aues significatum Christo
Domino, qui erat in cruce immolandus, congruentem
non habent: hinc eas, & non alias aues, ait Tostatus, *Alphõsus Tostatus in c 1 Leuitici q. 23. in fin.*
in sacrificio veteris Testamenti offerri Deus mandauit: Sacrificia enim, quæ in veteri Testamento fiebant,
aliqua in Testamento nouo facienda, præsertim vero
Christum Dominum in cruce immolandum adumbrabant. Quoniam verò Sancti sunt imitatores Christi
instar Beati Pauli Apostoli dicentis: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, qui Sanctorum sanctus est, & *1. Cor. 4. & 11.*
Sanctorum effector; propterea Turtures & Columbæ in
Missa post Canonizationem Sanctorum offeruntur ad
ea insinuanda, in quibus Christum Dominum imitati
fuerunt Sancti: è quorum numero sunt omnes, qui ea
faciunt, quæ à suis imitatoribus facienda docet Christus hisce verbis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Per sui ipsius *Matt. 16. Luc. 9.*
abnegationem, fellis (vt ita dixerim) carentia insinuatur, hoc est, abdicatio prauæ vitæ, quam per fel Origenes interpretatur. Per crucem verò præparatio animi ad perferendam crucem; vel afflictio corporis per *Orig. homil. 35. in Matth.*
abstinentiam; vel afflictio animi per commiserationem
erga proximum significantur. Crucem abstinentiæ habuit B. Paulus dum diceret: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*. Crucem quoque commiserationis habuit dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Duo autem sunt abstinentiæ genera: quorum vnum, vt Maximus inquit *1. Cor. 9.* *1. Cor 11* *Max. de S. Io. Bap.*
Taurinensis, exercetur, si à potu & epulis appetitus

Q 2 gulæ

Lyrani Glossa moralis.

gulæ temperetur, & à delectationibus coerceatur, ac tandem ab ijs, quæ tactu, gustu, & visu decipiunt hominem, sensus viriliter reuocetur, ac violenter abstrahatur. Alterum abstinentiæ genus est pretiosius atque sublimius, si motus animi regantur, illiusq. perturbationes modestiæ tranquillitate placentur; iræ item ac superbiæ impetus quasi fera bestia refrænetur, quotidie contra vitia litigetur, ac veluti censura quadam, & austeritate virtutis, pugna denique quodam modo cum homine interiore conferatur. Hæc ex Maximo Taurinensi de duobus abstinentiæ generibus, in quibus Sancti canonizati sese exercuerunt, & imitatores Christi facti sunt.

Ex glossa morali in dictum locũ Matt. cap. 10.

Quæ sane omnia si recte perpendantur, in sui ipsius abnegatione, atque in cruce perferenda consistunt; necnon ad Columbæ fellis carentiam, ac Turturis gemitum, ad eorumq. significationes Christum insinuantes referuntur. Propterea Turtures, & Columbæ in Missa Canonizationis Sanctorum, qui Christi sunt imitatores, offerri solent. Huc accedit pro veritate confirmanda, quòd Columba est auis non solum innocua, sed etiam pudicitiæ & viduitatis continentiæ symbolum, quia vnam vnus tantum masculus nouit. Hinc in rebus sacris, Columbarum oblationem ita nonnulli accipiunt, vt coniugij tam firmi ratione habita, nos quoque mentem stabili firmitate perseueraturam Deo, vti verò coniugi, ac sponso Christo sociemus. Origenes insuper citat Apostolum, qui de charitate loquutus, Columbam protulerit. Sanctus item Cyprianus tam vitæ sanctitate, quàm facundia clarus, in ijs, quæ aduersus Nouatianum pro vnitate, concordiaq. piorum omnium de Columba scripsit hisce verbis: Idcirco in columba venit Spiritus Sanctus. Simplex animal, & lætum est, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum. Hæc

Pier. Valer. lib. 22 Hierogl.

Origen. tract. 20. in Matt. to. 2.

S. Cypr. cap. 5.

S. Cy-

S. Cyprianus de Columba. Basilius item de mira Turturis viduitatis continentia loquitur, dum de pudicitia, & vitæ continentia sermonem habet, eamq. amplectendam docet. Hinc sacrarum litterarum interpretes per Turturem vnamquamque animam castitate præditam interpretantur, ac de tali anima illud Psalmi, *Turtur nidum inuenit, vbi ponat pullos suos*, dictum volunt, hoc est, Ecclesiam inuenit, piorum scilicet coetum, vbi virtutum genus omne appareret: per pullos enim virtutes intelliguntur. Huc accedit, quòd per Turturem, & Columbam, vt Beato Hildephonso placet, duæ perbelle repræsentantur vitæ, actiua scilicet & contemplatiua: ambæ Sanctis congruentes, ac Deo gratæ: quia, vt ait S. P. Augustinus, ambæ innocentes, ambæ laudabiles: illa verò laboriosa, hæc ociosa; nulla tamen facinorosa, nulla desidiosa: nam per Columbam gregatim volare consuetam, vita actiua, quæ multorum est; per Turturem autem soliuagum vita contemplatiua, quæ paucis est imitabilis, insinuantur. Adde etiam, quòd Beato Hildephonso Archiepiscopo Toletano teste, dictas aues, castitatem & simplicitatem adumbrantes, in sacrificio veteris Testamenti offerri Deus mandauit, vt castissima Sanctorum simplicitate, quasi gratissimo sacrificio se delectari significaret. Mirum itaque nemini esse debet, si Turtures, & Columbæ præsertim albæ, quæ animi candorem, ac puritatem in Sanctis canonizatis insinuant, in Canonizatione Sanctorum offerantur, cum ea, quæ Turtures & Columbæ significant, Sanctis, Deo gratis, tam belle conueniant.

Basil. homil. 8. Hexaem.

Psal. 83.

Hildeph. serm. de Purific. S. Mariæ to. 9. Bibliot. Vet. PP.

S. Augu. ser. 27. de Verb. Do. to. 10.

Hildeph. vbi supra

Diuersi generis auicularum oblationes explicantur.

Illæ autem diuersi generis auiculæ ad Sanctorum tandem in Cælũ volatum innuendum, atque ad cælestia desideria in Deum directa insinuanda offeruntur, necnon

non aduolare ſinuntur. Sancti enim, varijs virtutum ac donorum generibus inſigniti, pijsq. deſiderijs, atque affectibus eleuati, volucribus cæli alta petentibus quodam modo aſſimilantur, quatenus terram relinquentes, terreniq. tàm operis, quàm deſiderij expertes in Cælum aſcendunt. Hinc B. Hieronymus in parabola de volucribus cæli & grano ſinapis ab Euangeliſta Matthæo conſcripta, per volucres cæli animas Credentium, vel Fortitudines, Dei ſeruitio mancipatas, intelligendas eſſe affirmat. Id quod etiam Sanctus Gregorius Magnus, & expreſſius quidem, ait, dum per volucres cæli animas ſanctas intelligit: quæ quibuſdam (inquit) virtutum pennis à terrena cogitatione ſe ſubleuant, volatumq. ſibi in cælum parant, req. ipſa tandem aliquando conſequuntur.

Hier. lib. 2. in cap. 13. Matt. to. 6.

S. Greg. li. 19. Moral. cap. 1.

Turtures igitur & Columbæ, aliæq. diuerſi generis auiculæ in Miſſa Canonizationis non ſine myſterijs offerri ſolent, dum ſub materialibus figuris & imaginibus res diuinas adumbrant, ſpiritualemq. maieſtatem repræſentant, vt rebus viſibilibus, quaſi adminiculis quibuſdam, ad inuiſibilem, & auguſtiorem myſteriorum intelligentiam, ſicut Beato Dionyſio Areopagitæ placet, ſubuehamur; vtq. deinde ad eam myſteriorum intelligentiam ſubuecti, ad pietatem excitemur, atque ad feruorem accendamur; Sanctorumq. imitatores effecti, diuina & ſempiterna in Cælo gloria tandem aliquando cum Sanctis perfrui mereamur. Amen.

Dionyſ li. Eccl. Hie. cap. 1.

Ego

EGo Fr. Gregorius Nunnius Coronel Lusitanus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini professor, & Sacræ Theologiæ Doctor, ex commissione Reuerendissimi P. Fr. Ioannis Mariæ Brasichellensis, Sacri Palatij Magistri, quàm maxima potui diligentia legi, & expendi hunc Commentarium de Sanctorum Canonizatione compositum à R.mo P. Magistro Fr. Angelo Roccha Camerte Apostolici Sacrarij Præfecto; in quo nihil reperi, quod vel Fidei Catholicæ, vel bonis moribus, Sacrorum Conciliorum Decretis, aut Sanctorum Patrum dictis, aliquo modo (meo saltem iudicio) repugnare videatur: quin potius multa continet & scitu dignissima, & quæ piam Auctoris in Sedem Apostolicam propensionem, & religiosum obsequium facilè demonstrant. Quam ob rem dignum censeo hunc Commentarium, qui in communem vtilitatem typis mandetur. In quorum fidem &c. Die XXVI. Nouembris M. DC. Anno Iubilei.

Idem qui supra manu propria.

Imprimatur, si placet R. P. M. sacri Palatij.
B. Gypsius Prouicesgerens.

Imprimatur.

Fr. Angelus Baronius Venetus Magister, & Reuerendiss. P. Magistri sacri Palatij socius.

Imprimatur, ſi videbitur R. P. M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Ceſar Fidelis Viceſg.

Imprimatur.

F. Thomas Pallauicinus Bonon. Magiſter, & Reuer. P. F. Ludouici Yſtellæ Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter ſocius Ordinis Prædic.

CATALOGVS SANCTORVM

Quorum Canonizationes inueniri potuerunt.

SAnctus Suitbertus Episcopus Vuerdensis, Karolo Magno Imperatore suppliciter eiusdem Canonizationem postulante, Vuerdæ, Oppido imperiali, à Leone 3. Pontificatus anno 8. solemniter in Sanctorum Confessorum numerum relatus fuit, magno & Cardinalium & Prælatorum adstante numero, Anno Domini 803. die 4. Septembris. Sur. To. 2. prima Martij, ex S. Ludgero Episc. Monasteriensi, & Vsuardus, Card. Bellarm. lib. 1. de Beat. & Canoniz. SS. c. 8. To. 1. Controu. & Card. Baronius To. 9. Annalium pag. 108. Necnon Io. Azorius lib. 5. cap. 6. Partis 2. Institutionum Moralium. Anno 803. vel 804.

S. Vdalricus Augustæ Vindelicorum Episcopus canonizatus fuit à Ioanne 15. anno 8. Pontif. Anno Dom. 993. Ex Bulla, quæ asseruatur Romæ in Bibl. Patrum Congregationis Oratorij. De hac Canonizatione loquitur Card. Baronius To. 10. Annalium pag. 889. & sequ. Ann. 993.

S. Simeon Monachus Treuerensis in Sanctorum numerum relatus fuit à Benedicto 9. Annal. Treuer. Sur. to. 3. & Card. Bar. in Martyrol. die prima Iunij. Ann. circa 1035.

S. Stephanus primus Hungarorum Rex, qui eos ad fidem conuertit, & S. Emericus eiusdem Regis Filius, à Benedicto Nono in Sanctorum numerum relati sunt. Cardinalis Baron. 4. Nouembr. in Emerico. De ijsdem Sanctis Martin. Pol. & Cromerus. Ann. 1036.

S. Vuolfgangus Ratisponæ Episcopus à Leone 9. dicitur canonizatus. Sur. to. 5. De eo Card. Bar. in Martyrol. Rom. die 31. Octobr. Ann. circa 1049.

S. Gerardus Episcopus Tullensis ex Colonia Agrippina Anno Domini 1052. Pont. 4. canonizatus est ab eodem Leone, qui Episcopus Tullensis fuit. Sigeb. in Chron. Molanus 23. Apr. & Cæsar Card. Bar. Ann 1052.

S. Attilanus Episcopus Zamorensis ab Vrbano 2. in Sanctorum numerum fuit relatus. Molanus die 5. Octobr. & Martyrol. Romanum. Ann circa 10 8.

S. Petrus Episcopus Anagninus ex Familia Principum Salerni, qui floruit sub Gregorio 7. canonizatus fuit à Paschale 2. vt constat ex Bulla, quæ asseruatur in Archiuo Ecclesiæ Cathedralis Anagninæ. Ann. 1110.

S. Hugo Gratianopolitanus canonizatus fuit ab Innocentio 2. Anno 1.
Ann.1130. *Pont. Salutis 1130. Sur. to. 2. & Card. Bar. die 1. Aprilis.*

S. Eduardus Anglorum Rex ab Alexandro 3. Anno Pontificatus 4.
Ann.1163. *canonizatus fuit Anagniæ, & Anno Dom. 1163. Surius to. 1. die 5. Iannar. & Card. Bar. in Martyrol.*

S. Bernardus Claræuallis Abbas in Sanctorum numerum relatus fuit
Ann.1164. *ab eodem Alexandro Anagniæ Anno Dom. 1164. Pont. 5. Ex litteris Apostolicis, quæ extant in fine operum eiusdem Sancti. Et ex Biblioth. S. Petri Romæ.*

S. Thomas Cantuariensis Episcopus, & Martyr clarissimus, canonizatus
Ann. circa 1172. *tus fuit ab eodem Alexandro circa Ann. Dom. 1172. Pont. 13. Romæ, Sur. to. 6. & Card. Bar. die 29. Decembr. ex litteris Apostolicis in Bibl. Vat. asseruatis.*

S. Galganus Eremita, Senis in Tuscia canonizatus fuit, vt ait F. Gre-
Ann. circa 1181. *gorius ex Ord. Prædic. ab eodem Alexandro 3. circa annum Dom. 1181. sed quo ad tempus hoc refellit Card. Baronius in Martyrol. die 3. Decembris.*

S. Bruno Cassinensis Episcopus Signinus canonizatus fuit à Lucio 3.
Ann. circa 1183. *Anno Dom. 1183. Pont. 2. ex Bulla, quæ asseruatur Romæ in Bibl. Patrum Congregationis Oratorij.*

S. Otho Episcopus Bambergensis, qui conuertit Pomeranos ad fidem,
Ann. 1188. *canonizatus fuit à Clemente 3. anno primo, Dom. 1188.*

S. Ladislaus Hungarorum Rex catalogo Sanctorum adscriptus fuit à
Ann. 1191. *Cælestino 3. anno Pont. 1. Dom. 1191. Bonfinius de rebus Hungar. & Card. Bar. in Martyrol. die 27. Iun.*

S. Vbaldus Episcopus Eugubinus canonizatus fuit à Cælestino 3. Ro-
Ann. 1192. *mæ in Laterano die 4. Martij Anno Dom. 1192. vt constat ex Bulla in Archiuo Communitatis Eugubij asseruata, cuius exemplar extat Romæ in Bibliotheca Congregationis Oratorij. Idem scribit Card. Baronius To. 12. Annalium pag. 852.*

S. Homobonus Cremonensis Sanctorum numero adscriptus fuit ab In-
Ann. 1198. *nocentio 3. anno primo, Dom. 1198. Ex litteris Apostolicis. Sur. to. 6. & Card. Bar. in Martyr. die 13. Nouembr.*

S. Procopius Bohemus canonizatus fuit, vt legitur in Surio to. 7. Anno
Ann. 1204. *Dom. 1204. quo anno viuebat Innocentius 3.*

S. Laurentius Episcopus Dublinensis Hibernus in Sanctorum nume-

rum

rum relatus fuit ab Honorio 3. Reate anno Pontificatus 10. Salutis 1226. Surius to. 6. Et litteræ Apostolicæ. Ann. 1226.

S. Hugo Burgundus ex ord. Carthuſ. Episcopus Lincolnienſis ab eodem Honorio 3. canonizatus fuit Romæ. Sur. to. 6. & Molan. Ann. circa 1227.

S. Franciſcus Ord. Minorum institutor in Sanctorum numerum relatus fuit à Gregorio 9. anno 2. Peruſij anno Dom. 1228. Menſe 21. post eius obitum, ex Hiſt. Seraphica Toſſinianenſis. Litteræ Apoſtolicæ. S. Bonau. in eius vita, quæ dicitur Legenda, to. 7. p. 4. c. 15. & Card. Baron. die 4. Octobr. Sur. to. 5. & alij. Ann. 1228.

S. Antonius Luſitanus, de Padua dictus ex Ord. Minorum, canonizatus fuit à Gregorio 9. anno Pontificatus 6. Spoleti eodem anno, quo ex hac vita deceſſit, ex Hiſt. Seraphica Toſſinianenſis. Canonizationis Bulla aſſeruatur in Archiuo Cathedralis Eccleſiæ Anagninæ, nunc vero in Bibliotheca Vaticana. Anno Dom. 1232. Litteræ Apoſtolicæ. Sur. to. 3. & alij. Ann. 1232.

S. Dominicus Ord. Prædicatorum inſtitutor, catalogo Sanctorum fuit adſcriptus à Gregorio 9. anno Pont. 8. Reate anno Dom. 1234. Litteræ Apoſtolicæ. Sur. to. 4. & alij. Ex hac vita deceſſit Anno Dom. 1221. die 6. Auguſti. Ann. 1234.

S. Elizabet vidua, Andreæ Regis Hungarorum filia, tertiaria ord. S. Franciſci, canonizata fuit à Gregorio 9. anno Pont. 9. Peruſij. Anno Dom. 1235. Litteræ Apoſtolicæ. Sur. to. 6. & alij. Anno 4. poſt eius obitum. Ann. 1235.

S. Edimundus Archiepiſcopus Cantuarienſis canonizatus fuit Lugduni ab Innocentio 4. circa Ann. Dom. 1248. Sur. to. 6. Platina Card. Bar. die 16. Nouemb. & Catalogus Romanorum Pontificum, qui ſeſe in Gallias contulerunt. Ann. circa 1248.

S. Petrus Martyr Veronenſis ex Ord. Prædicatorum Peruſij canonizatus fuit ab eodem Innocentio, Ann. Dom. 1252. Anno ſcilicet poſt Martyrium. Ex Breuiario Romano. Pont. 11. Breuiarium. Vincentius lib. 32. c. 103. in ſpec. Molanus item, & Platina; Bernardus in Chron. & Cæſ. Bar. Card. die 29. April. Anno poſt Martyrium primo nondum exacto, vt ait Thomas Lentinus Patriarcha Hieroſolymitanus. Ex Surio 29. Aprilis. Ann. 1252.

S. Vuillelmus Epiſcopus Briocenſis Britanniæ minoris, canonizatus fuit ab Innocentio 4. ex litteris Apoſtolicis anno Pontificatus 11. datis. Surius to. 4. Die 29. Iulij; & Card. Baron. in Martyrol. die item 29. Iulij. Ann. 1253.

S. Stanislaus Episcopus Cracouiensis, & Martyr, in Sanctorum nu-
Ann. 1253. *merum relatus fuit Perusij ab Innocentio 4. Ann. Dom. 1253. Pont. 11. Mart. Cromerus lib. 9. sub initium. Sur. to. 2. Breuiarium, Platina, & alij.*

S. Clara Virgo Assisij nata, ex Ord. Minorum, ab Alexandro 4.
Ann. 1255. *Anagniæ fuit canonizata Ann. Dom. 1255. Pontificatus 1. Sur. ad calcem historiæ to. 4. die 12. Augusti. & Martyrol. eadem die, & Platina in Alexandro 4. Anno Pontificatus 6. vel 7.*

S. Ricardus Episcopus Cicestrensis in Anglia, canonizatus fuit ab Vr-
Ann circa 1261. *bano 4. Card. Bar. in Martyrol. die 3. Aprilis. Et Bulla, quæ asseruatur Romæ in Bibliot. Patrum Congregationis Oratorij.*

S. Heduicis Poloniæ Ducissa canonizata fuit Viterbij à Clemente 4.
Ann. 1267. *anno Dom. 1267. Pont. 3. Martyrol. Rom. & Card. Bar. die 15. Octobris. Mart. Cromer. lib. 8. & Platina in Clem. 4.*

S. Ludouicus Nonus Galliæ Rex, apud Vrbem veterem in Sanctorum
Ann. 1296. *numerum relatus fuit à Bonifacio 8. anno Dom. 1296. Pont. 3. Sur. to. 4. ex Gaufrido eius confessario. & Histor. Ordinis Minorum, & Registro eius in Basilica Vaticana; Necnon ex Breuiario Romano.*

S. Petrus de Morono, qui fuit Cælestinus 5. canonizatus est à Cle-
Ann. 1311. vel 1313. *mente 5. in Gallia, anno Dom. 1313. Pont. 9. Sur. to. 3. die 19. Maij. Card. Baron. eadem die, & alij. Sunt qui velint in Concilio Viennensi fuiße canonizatum. Vide Plat. & Bernardi Chron.*

S. Ludouicus ex Ord. Minorum Episcopus Tolosanus, Karoli 2. Sici-
Ann. 1316. *liæ, vt ait Platina, Regis filius, canonizatus fuit Auenione a Ioanne 22. anno Pont. 1. Anno Dom. 1316. Idem Plat. Sur. to. 4. Card. Bar. die 19. Aug. Litteræ Apost. & Chron. & Hist. Ord. Bulla Canoniz. Bononiæ in Archiuo S. Francisci aßeruatur.*

S. Thomas de Cantalupo Herphordiensis in Anglia Episcopus Sancto-
Ann. 1320. *rum numero adscriptus est ab eodem Ioanne 22. Auenione Anno Domini 1320. Pont. 4. Sur. to. 5. Plat. Franciscus Ioannettus in vita eiusdem Papæ, & Bulla in Bibl. Vat.*

S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus, ex Ord. Præd. anno 50. post
Ann. 1323. *eius obitum inchoante. Dom. 1323. Pont. 7. à Ioanne 22. Auenione fuit canonizatus. Litteræ Apost. in Bibl. Vat. Sur. to. 2. Garzo l. 4. Plat. Breu. Rom. & Card. Bar. de Canoniz. S. Thomæ Aquin. die 7. Martij: quo die Anno Dom. 1274. ad Deum Auctorem vitæ migrauit. Anno ætatis suæ 50. De his omnibus loquitur S. Antoninus par 3. tit. 23. c. 7. 8. 11. 12. 13. 14.*

S. Iuo

S. Iuo Presbyter Britannus canonizatus fuit à Clemente 6. Auenione anno Dom. 1348. Pont. 7. Card. Bar. in Maftyrol. die 19. Maij. Bibliotheca Sancti Petri in Lectionario MS. littera H. Sur. to. 3. & Bulla, quæ extat in Bibliotheca Vaticana. Ann. 1348.

S. Katharina Virgo, & vidua, filia sanctæ Brigittæ, canonizata fuit ab Vrbano 6. vt Molanus in Vsuardum die 22. Martij scriptum reliquit. Vide Sur. to. 2. Ann. circa 1378.

